15. 2. 223

Digitized by Google

XXXIV
ANON.

Digitized by Google

Digitized by Google

ΑΔΕΙΣΙΔΑΙΜΟΝΟΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ


VINDICIÆ

ADVERSUS

SYCOPHANTAS

JUVAVIENSES.

Operta quæ ſuere, aperta ſunt; patent præſtigiæ.
Plautus *Captiv. A.* 3. *S.* 3. *v.* 8.



COLONIÆ
Apud PETRUM MARTEAU.

MDCCXLI.

Verecundæ mentes, ſiquas fortaſſe culpas admiſerint, leniter arguendæ ſunt, quia ſi aſperius increpentur, franguntur potius quam erudiantur. At contra mentes aſperæ atque impudentes ſi increpatæ leniter fuerint, ad majores culpas ipſa lenitate provocantur. . . . . Mentes enim duræ, niſi aperta eſſent increpatione percuſſæ, nullo modo malum cognoſcerent quod egiſſent. Nam ſæpe hi qui impudentes ſunt, tantum ſe peccaſſe ſentiunt, quantum de peccatis quæ fecerint increpantur: ut minores culpas ſuas æſtiment, quas minor invectio caſtigat, & quas vehementer objurgari viderint, majores eſſe deprehendant.

Gregorius M. *Lib. I. in Ezechiel. Homil. XI. n.* 18. & 20.

Digitized by Google

ERVDITO ORBI VNIVERSO
ET ELEGANTIORVM LITTERARVM CVLTORIBVS VIRIS DE HVMANO GENERE OPTIME MERITIS VINDICIAS HAS ADVERSVS SYCOPHANTAS ATQVE LABOREM PRO COMMVNI CAVSSA SVSCEPTVM VT SOCIAM OPERAM AD BARBARIAM DEBELLANDAM IVNGANT ATQVE IMMINENTEM CALAMITATEM AB ERVDITORVM IVVAVIENSIVM CAPITE ET A LITTERIS DEPELLANT HONORIS OBSERVANTIAE ET TVTELAE ERGO

ΑΔΕΙΣΙΔΑΙΜΩΝ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΣ

D. D. D.

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS
BENEVOLO LECTORI S.

GRatamne rem Vindiciarum harum Auctori facturus ſim, ut eas hoc potiſſimum tempore in lucem emittam, quo Juvavienſibus Scholis emendandis Sapientiſſimi Principis imperio manus admota eſt, ignorare me plane profiteor. Illud enim ſibi hoc in opere propoſuit Vindiciarum Auctor, ut in vetere luto adhuc hærentes incitaret ad eluctandum, atque ad nobiliores aliquando ſpiritus ſumendos hortaretur. Jactis itaque in poſtrema Juvavienſi luſtratione quibusdam ſaluberrimo operi exordiendo fundamentis, ſtudiorumque inſtauratione Principis juſſu ab Ampliſſimis Moderatoribus decreta, videri cuippiam poſſet, facile fuiſſe a Vindiciis hiſce edendis temperandum. Qua in re non minimam culpam meam fuiſſe palam profiteor. Etenim non ſemel Auctor mecum expoſtulavit, rem a me juſto longius extrahi, & moras nectendo exſpectationem a me eludi ſuam. Frigeſcere enim hujuſmodi ſcripta, niſi ferventibus adhuc animis in lucem prodeant. Tum & in tantis animorum concertationibus facile evenire poſſe providebat, ut, ſpatio adverſantibus ad agendum relicto, & machinam hanc, ut cetera omnia, eorum induſtria proſtraret. Etſi autem paullo ante vix credibile videbatur, ut de ſcholarum emendatione cogitatio Juvavii ſuſciperetur: ea tamen eſt Viri æquitas probitasque, ut ſi id vel minima ſuſpicione potuiſſet aſſequi, non ad edendum modo libellum hunc, ſed ne ad conſcribendum quidem animum appellere ſuſtinuiſſet. Univerſa itaque rei ſumma in me unum incumbit. Si alieno tempore Vindiciæ prodeunt, non Auctoris, ſed tota ea culpa mea eſt. Ajo vero nihil a me hoc in negotio temere geri, nihil inconſultum agi. Vindiciæ enim hæ ante poſtremam Juvavienſem luſtrationem typis deſcriptæ jam erant. Eæ igitur ut in Eruditorum hominum manus perveniant, tetius litterariæ Reipublicæ plurimum intereſſe contendo. Fuit quidem Juvavii de Scholis emendandis decretum editum. Mandavit pro imperio Sapientiſſimus Princeps, optimam ibi diſciplinarum omnium tradendarum rationem inſtitui. Antiſtites quoque ampliſſimi, qui Juvavienſibus ſcholis præſunt, in Excelſi Principis ſententiam libenter iverunt. Ipſi ſaniores Juvavienſium Doctores, peſſimis illis turbarum auctoribus, Theocrino, Phrynonda, & Eurybate, qui aut ſponte magiſtratu ſe abdicaverant, aut abdicare juſſi fuerant, e medio ſublatis, recuperata libere ſentiendi facultate, jam pridem expetitam emendationem avide amplexi ſunt. Quæ quum ita ſe habeant, magnus tamen adhuc Vindiciarum uſus futurus eſt. Niſi enim eorum, qui tantos tumultus concitarunt, peccata conſpicienda omnibus præbeantur; niſi, quam præceps illud iter ſit, oſtendatur, quo maleſana ducit rixandi libido, atque ſtulta de ſe opinio, ſolis Scholarum diſciplinis ſuffulta; niſi & aliorum exemplo diſcant ceteri, advocandas eſſe in auxilium humaniores litteras; Antiquitatum, Critices, Hiſtoriæ, meliorisque Philoſophiæ ſtudia ſedule tractanda, aliaque demum cetera, quibus ſæculum hoc ſupra ea, quæ nos præceſſerunt,

runt,

Digitized by Google

runt, haud immerito effertur: numquam eveniet, ut Barbaries omnis e publicis Scholis eliminetur. Emendationis levem quamdam ſpeciem ac veluti umbram habebimus; emendationem ipſam non habebimus. Sub hujus larva vetus adhuc latebit ſocordia. Patiendum non eſt verba nobis dari, aut lactari nos inoni emendationis ſpe, nubem autem nobis pro Junone venditari. Excitandi igitur a veterno, quo ſopiti erant, homines ſunt. Inſigne aliquod ſpecimen edendum eſt, quod intueantur ceteri, intelligantque, ſi Viris illis, qui omnium longe doctiſſimi habebantur, tam turpiter ſucceſſit, quid ſibi, ſi cum Eruditis congrediantur, exſpectandum ſit. Metu & verecundia hac injicientur juſta licentiæ & audaciæ frena. Pax ita & tranquillitas reddetur reipublicæ. Non iræ, non rixæ committent litteratorum hominum animos; ſed junctis viribus communi civitatis bono promovendo ſtudebunt. Haud vane auguror. Futurum aliquando eſt, ut concertationes has fuiſſe exortas utiliſſimum habeatur. Quemadmodum enim prægravato noxiis humoribus corpore, niſi pugna quadam inter eos exorta, pravorum a ſanioribus ſecretio fiat, univerſam corporis compagem diſſolvi atque interire neceſſe eſt: ita & nullam umquam litterarum ſanitatem ſperare Juvavii licuiſſet, niſi certamine hoc ſuſcitato barbariem omnem inde eſſe pellendam memorando edocti homines monumento cenſuiſſent. Sed & Excelſi & Optimi Principis gloriam in illuſtri adeo loco poſitum iri non exiſtimo, ſi Vindiciæ in lucem non prodeant. Etenim, ut quivis intelligat, quanti moliminis ſit inolitam barbariem e civitate amandare, motus, turbas, ſeditiones, contumelias, facinora denique & flagitia illa oportet pernoſcere, quibus, ne loco pellatur, tamquam machinis quibusdam inſcitia apud ignaros exiſtimationem ſuam tuetur. Glorioſum eſt, fateor, ſæculorumque omnium laudibus celebrandum, imperaſſe Excelſum illum Principem, ut Juvavienſes Scholæ ad meliorem frugem reducantur. Quid enim ſalubrius Reipublicæ eſſe poteſt, quam juventutis animos purioribus diſciplinis imbuere, ut fructus olim utiliſſimos Eccleſiæ & Reipublicæ ferant? Siquid ſentio, nullum aliud præclarius opus eſt, quo Principes tum poſteritatem omnem ſibi magis demereri valeant, tum nomen ſuum immortalitati cum laude firmius mandare, quam bonis litteris in civitate ſua reſtitutis. Inde enim tum bellica omnis, tum Civilis, atque domeſtica ſapientia, communisque adeo felicitas pendet. Pravis enim litterarum elementis ſi informentur juvenes, extrema imminet Reip. pernicies, atque unde ſalutem manare oportuiſſet, ipſe inde interitus exorietur. Omnem itaque laudationem exſuperet, LEOPOLDUM FIRMIANUM, *Celſiſſimum Salisburgenſem Archiepiſcopum, tantum opus perficere fuiſſe aggreſſum. At, ſi quibus ſalebris & incommodis id impeditum; quæ ſuſcipiendæ dimicationes; quæ objectæ moles, quantoque niſu fuerint amovendæ, reputet poſteritas: tunc etenim in Sapientiſſimo Principe animi ac beneficii magnitudinem & amantius recolet, & ſpectabit apertius. Sua itaque & ſolida ut conſtet Excelſo Principi laus, docere univerſos oportet, quæ ab eo pro litteris geſta ſint, quod nulla re commodius fieri poteſt, quam Vindiciis in lucem emiſſis, ubi motuum omnium origo atque incrementum velut in tabula conſpicua ſunt. Verum, quid ſollicitus de tanti Principis gloria ſum, quum ne bona quidem*

ejus

ejus exiſtimatio, niſi Vindiciæ edantur, in tuto collocata ſit? Ejecti ſint e Scholis Sycophantæ; ſint & fundamenta quædam ſtudiorum inſtaurationi jacta. At quo pacto mendacia illa de Murariis, quove infandæ illæ calumniæ de nova hæreſi, de abolito Principis juſſu Mariæ cultu, de corrupta nobili juventute e tot non hominum, ſed populorum memoria delebuntur? Impune itaque erit ſceleratis hominibus; contra innoxii exiſtimationis ſuæ jacturam facient, nec ullo eam pacto ſarcire licebit. Nobiliſſimi ipſi, Excelſo Principi ſanguine juncti, viri, qui in ejus fortunæ apice, ipſoque vividæ ætatis flore, tanto ſunt in honeſtiſſimas artes ardore, ut non litteras modo ament, ſed & aurum, quod voluptatibus comparandis inſtrumentum eſſe ſolet, in eximium illi uſum convertant; ſelectiſſimorum librorum ſupellectilem inſtruant; litteratos viros foveant; ſtudiisque inſtaurandis auctoritate ſua viam ſternant: hi, inquam, tanti viri famam ſuam tuendi jure ſpoliabuntur, nec Sycophantarum fraudes ac dolos Vindiciarum ope detegere poterunt. Hæc atque alia copioſe in Vindiciis Auctor ipſe proſequutus eſt, ut actum plane agam, ſi ea huc transferre cogitem. Nullam autem Vindiciis fieri contumeliam Juvavienſi Univerſitati, Auctor ipſe ſæpe docuit, præſertim Pag. 115. tum & Pag. 3. 18. 19. 54. 56. 88. & 99. quibus locis, nec rem ſibi eſſe cum Benedictino Ordine, nec cum Sodalitate aliqua, neque cum tota Juvavienſi Univerſitate, ſed cum paucis quibusdam, iisque degeneribus, profeſſus eſt. Ceteros autem Juvavienſes Doctores debitis affecit laudibus; Sycophantarum numero exemit; Phrynondæ & Eurybati adverſatos fuiſſe teſtatus eſt, atque eos, niſi aliorum tyrannide premerentur, ſponte in Eruditorum ſententiam conceſſuros eſſe pronunciavit. His itaque claris viris, extincto ille Triumviratu ſublato, Juvavienſes Scholæ commiſſæ quod ſint, inanis eſſet querela, poſt decretam ſtudiorum emendationem Univerſitati ejusque Doctoribus gravem per Vindicias injuriam inferri. Hos numquam eæ ſpectarunt, ſed improbos alios, quos ipſi prudenti conſilio e cœtu ſuo ſegregarunt. Reipublicæ itaque utilitatem Vindiciæ quum promoveant; Principis gloriæ illuſtrandæ inſerviant; bonorum famam ſine ullius injuria tueantur: hæc in cauſſa fuerunt, ut vel poſt inſtitutam Scholarum Juvavienſium luſtrationem, atque propoſitam ſtudiorum inſtaurandorum ſpem, pernéceſſum mihi viſum fuerit, has ipſas Vindicias, antea jam typis deſcriptas, in lucem emittere. Hæc boni conſulas velim, B. L., & graviora menda, quæ per operarum oſcitantiam & Auctoris abſentiam irrepſere, ex ſubjecta opuſculo tabella, ipſe, ſi videbitur, emacules.

Pag.3. v.21. leviter *lege* leniter. Pag.6. v.14. geminam *lege* genuinam. Pag.7. v.24. bleunos *lege* blennos. ibid. v. 25. promerealia *lege* promercalia. Pag.8. v.19. omne *lege* omni. ibid. excalerent *lege* excolerent. Pag.9. Cap.3. v.8, ales *lege* ater. Pag. 14. v.10. apes *lege* aper. Pag.22. v.14. ἑαυτ *adde* δεῖν. Pag.27. v.30. faceres *lege* ſtatueres. Pag.28. v.3. His *lege* Ais. ibid. v. 27. Hyſea *lege* Hypſea. ibid. v. 34. tribuere poſſis *lege* tribuere non poſſis. P.33. v. 34. Serkendorffius *lege* Seckendorffius. P.34. v.6. Concilio *lege* Conſilio. P.36. v.31. & 32. Soi *lege* ſoli. P.39. v.21. abiicientibus *lege* obiicientibus. P. 40. v.24. *ἀντιαδίσεις lege ἀντιδίσεις*. ibid. v. 29. appoſitiones *lege* oppoſitiones. Pag. 46. v. 21. ferre *lege* fere. P.55. v.26. plurima *lege* multa. P.57. v.30. *οἴτομεν lege ἄτομεν*. P.59. v. 24. quorum *lege* quarum. P. 75. v.2. veræ *lege* vere. P. 93. v.30. nuper *reſcribe* proxime. P. 97. v.21. propitiam *adde* is. P.99. v.23. notationibus *reſcribe* notationibus eſt dictum. P.101. v.14. vendicaſti *lege* venditaſti. Pag.113. v.17. atque *dele* & *lege* ac. Pag. 116. v. 17. lutari *lege* luctari. P. 129. col. 1. v. 27. Melanthon *lege* Melanchthon. Pag.130. v.3. *dele* Eccleſia. Pag.137. col.2. Krans *lege* Kraus. Pag.139. col.2. v.20. anruſſe *lege* anruffe. P.140. col.1. v.6. ans *lege* aus. ibid. v.21. bezichtiget. Es *lege* bezichtiget, es. P.145. col.1. v. poſtr. E contra *reſcribe* Contra. P.148. v.14. Gotts-Gans *lege* Gotts-Haus. ibid. v. 26. verlongen in affentlichen *lege* verlangen in offentlichen. P.152. col.1. v.12. glanbigen *lege* glaubigen. ibid. v. 25. andeten *lege* anderen. P.154. col.1. v.26. deulich *lege* deutlich. P.155. col.2. v.8. rerknüpfet *lege* verknüpfet. P.156. col.1. v.8. rerarchte *lege* verachte. ibid. noch *lege* nach. ib. v.25. *adde* verachtet. ibid. v.32. noch dem *lege* nach den. Pag.157. col.2. v.1. Sowill *lege* ſovill. ib. v. 10. nnd *lege* und. ibid. v. 15. ahnedeme *lege* ohnedeme. ibid. v. 23. geraunce *lege* geraumbe. ibid. anch *lege* auch. ib. v.31. den *lege* der. Pag.158. col.1. v.25. ſey *lege* ſye. Pag.160 col.2. v.13. erknnen *lege* erkennen. ibid. v.45. volgeſezt *lege* vorgeſezt. Pag. 169. col. 2. v 22. Chri- *lege* Chriſtus. Pag. 170. col.1. v.14. eingeburg *lege* eingebung. ibid. v.25. gebüsrenden *lege* gebührenden. Pag. 171. col. 2. v. 2. ertangen *lege* erlangen. Pag. 172. col. 1. v. 7. Jenige *lege* jenign. ibid. v.8. Raſt *lege* haſt. Pag. 173. col. 2. v. 32. nach *lege* noch. ibid. v. 40. anteren *lege* anderen. Pag.177. col.2. v.3. glaubenr *lege* glaubens. Pag.178. col.1. v. 10. ihre *lege* ihrer. Pag. 181. col.2. v.30. glanben *lege* glauben. ibid. v. 40. villig *lege* willig. Pag. 182. col.1. v. 28. lieben *lege* liebe. Pag. 184. col.1. v.7. ſaluti *lege* ſaluti non. Pag. 185. col. 2. v. 11. heiliger *lege* heiligen. Pag. 189. col. 2. v. 9. de *lege* der.



VINDICIÆ
Adverſus SYCOPHANTAS JUVAVIENSES.

CAPUT I.
Scribendi occaſio, & neceſſitas.

PRopoſitum mihi hodie eſt, JUVAVIENSES SYCOPHANTAS Attico & Romano ſale perfricare. Nec juſta acie in eos contendam. Principes, Haſtatos, Triarios in hibernis relinquam; Velites dumtaxat in eos educam. Ludicra nimirum erit pugna cum inermi hoſte. Quæ enim mihi gloria inquinari ignavo ſanguine? Ridendo etiam verum dicere nil vetat, atque aliquando ridiculum res melius ſecat & fortius. A vernilibus tamen convitiis temperabo, & non quid eos audire, ſed quid me dicere deceat, conſiderabo. Benevolos mihi Lectores futuros ſpero, quanto æquiores ſunt defendentis quam accuſantis partes. Patronum ſcilicet ago Virorum aliquot Eruditorum, qui Juvavii ſunt, quorum maximum eſt crimen, quod litteras & bonam mentem amant. Nec horum tantum partes tueor, ſed quotquot ubique ſunt *Eruditorum* hominum, quos

Digitized by Google

ineruditi Sycophantæ noſtri *doctos* appellari poſſe negant. Qui ſim, qui non ſim, uret non paucos ſciendi cupiditas. Parum id cauſſæ, parum id Sycophantarum intereſt, niſi ſi forte ut inſidias in caput meum ſtruant. Si peregrinus; juſtum erat, ut quod Eruditis viris per leges Juvavii non licet, id alius eorum loco efficeret: ſin indigena; quis id agenti, quod omnibus licet, jure ſuccenſeat? Nomen meum latere volui, non cauſſæ infirmitate, ſed quod in litterarum plauſum ire non cupio, neque unquam gloriolæ ſpes cor meum acri thyrſo percuſſit. Unum, quod quæro, eſt, ut Sycophantarum incredibilem in omni diſciplinarum genere imperitiam, atque cruce dignas calumnias improbasque artes univerſis conſpiciendas proponam. Antequam vero id aggredior, ſinite me, per fortunas, quædam monere de toto hoc genere defenſionis meæ, ne vos Sycophantarum præſtigiæ in errorem inducant. Erunt fortaſſe, ut auguror, quibus non Eruditos illos tueri, ſed Monachos accuſare videar. Qua re quid inconſultius, aut tempori huic magis incommodum eſſe poterat? Idem enim hoc eſt, atque Lectores plerosque tum a cauſſa quam ago, tum a libello, atque a me ipſo abalienare. Impium quippe habetur, aut impietati proximum, homines hujuſmodi publicis præſertim ſcriptis impetere. Quod in unum jactes, rapiunt & ceteri ad ſe, atque Ordini univerſo contumeliam factam volunt. Audias tunc protelo clamantes:

„ Porro (nam quis erit modus?) Quirites. „

Quidquid magis ſacrum eſt, violari, atque ſub larva hac quidpiam hæretici monſtri latere dicent. Oportet, ſi hos audias, a Romana Eccleſia eſſe averſum, qui Monachorum flagitia in vulgus effert. His, peccantibus licet, honos deberi creditur. Nec prætermittam memorare, quæ de ludicra hac ſcribendi ratione dici poſſent. Contemtum id atque arrogantiam præſefert, tum & ab Evangelii legibus eſt alienum, fratres ſuos maledictis aggredi, aut amarulentis jocis in eos liberius jactatis ſolutos hominum riſus captare. Longe id eſt a Chriſtiana pietate, quæ nil niſi amorem & pacem commendat. Profanum itaque eſſe oportet, qui hæc penſi non faciat. Hæc, quis non fateatur, haud inſipienter in ſpeciem dicta eſſe? Experti id

ſunt,

ſunt, non ſine ingenti malo ſuo, Capniones, Eraſmi, Launoii, Arnaldi, & ſiqua alia fuere Monachorum flagella. Horum exemplis me non excuſo, nec cauſſa mihi cum illis communis eſt. Ego nec Ordinem ullum data opera aggredior, nec verbum mihi excidere patiar, quod in contumeliam univerſæ ſodalitatis cedat. Non Monachos, ſed paucos, eosque degeneres, atque hoc nomine indignos perſequor, non maledicendi libidine, ſed innocuos probosque Viros defendendi neceſſitate. Palam itaque, ut olim Demoſthenes *pro Corona*, edico: Siquid gravius a me dicetur, ſiquid acerbius, invito id mihi & Sycophantarum impudentia coacto deſenſionem ipſam extorquere. Sycophantas eos ubique appello, imperitos in omni litterarum genere, & calumniatores. Hæc niſi demonſtravero, cauſſa me cadere oportet, atque Eruditos homines, optimum Principem, univerſamque Juvavienſem Civitatem nominis infamia per Germaniam & Italiam flagrare. Quocumque calumniæ a Sycophantis ſparſæ pervenerunt, eo neceſſe eſt, ut de Sycophantia, imperitia, & calumnia accuſatio perveniat. Quo enim pacto, amabo, mendaciſſimis hominibus reſiſtas, niſi Latino eos *calumniatores* dicere liceat? Malo nodo malus cuneus adhibeatur oportet. Blande ac leviter id fieri res ipſa negat.

Ἀλλ᾽ ἡ γὰρ ἐκ [ὑμῶν] δυσμένεια, καὶ τὰ [ὑμέτερα]
Ἔργ᾽ ἐξαναγκάζει με ταῦτα δρᾶν βίᾳ.

Negotium hic agitur non de aſini umbra, ſed de Principe, & qui circa eum eſt Aulico Comitatu, nobili præcipue Juventute, & Principi ipſi ſanguine junctis viris, tum Eruditis aliis, tum de tota Juvavienſi Civitate hæreſeos atque impietatis ubique fere per ſummam injuriam a Sycophantis accuſata. Quæſtio hic eſt de violata pace publica, de contemtis Principis mandatis, de ſeditioſis concionibus, de populo in Principem pæne ad arma vocato, de Majeſtatis crimine, de Catholicæ Religionis gloria ab auritulis Doctoribus, qui novas nobis leges Dei & Eccleſiæ nomine procuderunt, impio auſu temerata. Hæc ſcilicet comiter atque urbane erant pertractanda. Parcendum erat eorum famæ, qui nemini parcunt, qui barbara & immani crudelitate in aliorum famam graſſantur; idque ea tantum de

cauſſa, quod Monachi ſunt. Miras ſane & baſilicas mihi edictiones narras. Quibus vero in tabulis aut legibus id ſcriptum; quorum populorum moribus, aut ſapientum monitis id traditum? Tantum Monaſtico Ordini tribuo; tantum Eccleſiæ, quæ eos in honore haberi vult, voluntati; tantum juſtiſſimis Evangelii ſanctionibus, ut ſi alio pacto cauſſæ meæ conſulere potuiſſem, libenter ab odioſa hac inſectandi ratione manus abſtinuiſſem. At omnium ſuprema lex eſt, ſe ipſum aut tutelæ ſuæ commiſſos incolumes ſervare. Huic cedant oportet Monachorum commoda. Deſinant ineptire, & Principum, honeſtiſſimorumque virorum famam carpere; miſſos tunc faciam, nec verbum ullum cum iis commutabo. Donec autem furere pergent, & litteris, Eruditis hominibus, atque publicæ tranquillitati erunt infeſti:

„ Neque ulla mihi obſiſtet amnis, neque mons, neque adeo mare;
„ Nec calor, nec frigus metuo, neque ventum, neque grandinem;
„ Imbrem perpetiar, laborem ſufferam, ſolem, ſitim:
„ Non concedam, neque quieſcam uſque noctu atque interdiu
„ Prius profecto quam “

disjectis copiolis veſtris turpem in fugam præcipites vos dem,
- - - - „ accipiter velut
„ Molles columbas, ut leporem citus
„ Venator in campis nivalis
„ Hæmoniæ “

atque tropæum Litteris & Bonæ Menti de manubiis veſtris erigam. Inſtructus venio armis illis, quæ vos contemnitis, Grammatice, Critice, Hiſtoria, & Antiquitatis notitia. Hæc non obtuſa adeo ſunt, ut putatis. Explicate vos horridum & incultum Dialectices & Scholaſticæ Theologiæ veſtræ manipulum. Amens ſim, niſi primo congreſſu armis abjectis ſigna deſeretis. Videte vero, quam benigne vobiscum agam. Nullum victoriæ fructum, niſi, ut ſapiatis, volo. Proſcribi vos finibus, deportari in inſulas, ad opus aut beſtias damnari, capite aut bonis multari, ignominiæ nota in fronte inuri, aut ceteras calumniæ pœnas vos luere nolo. Gratiam vobis facio ſuppliciorum

ciorum omnium, quæ XII. Tabularum aut Legis Remmiæ jure vobis debentur. Unum peto, ut Scholaſticis ſordibus & ruditate abjectis, cum Muſis in gratiam redeatis. Lyceum veſtrum, quod Univerſitatem dicitis, veræ & non fucatæ ſapientiæ ſedem eſſe volo. Faveo gloriæ veſtræ, Ordinisque veſtri ſplendori, cupioque ut nomina veſtra, quæ in tenebris adhuc deliteſcunt, prodeant tandem in apricum, atque apud bonarum litterarum cultores, maximo reipublicæ Juvavienſis, & Romanæ Eccleſiæ bono ubique inclareſcant. His legibus vinci profecto quam vincere utilius vobis eſt. Quod ut commodius præſtem, ad ipſam uſque concertationum harum originem veluti manu Lectorem ducam. Hic vero liceat mihi cum Cicerone *pro Cluentio cap.* 2. Lectores meos ita alloqui. „ Antequam de ipſa cauſſa dicere incipio, hæc poſtulo: Primum „ id, quod æquiſſimum eſt, ut ne quid huc præjudicati afferatis. Etenim non modo auctoritatem ſed etiam Judicum nomen amittemus, niſi hic ex ipſis cauſſis judicabimus, ac ſi „ ad cauſſas judicia jam facta domo deferemus. Deinde ſiquam „ opinionem jam veſtris mentibus comprehendiſtis, ſi eam ratio convellet, ſi ratio labefactabit, ſi denique veritas extorquebit: ne repugnetis, eamque animis veſtris aut libentibus aut „ æquis remittatis. Tum autem, quum ego unaquaque de re „ dicam & diluam, ne ipſi quæ contraria ſunt, taciti cogitatione veſtra ſubjiciatis, ſed ad extremum exſpectetis." Præterea & eos memores eſſe volo illius, quod non inſcite ab alio olim eſt dictum:

„ Periculoſum eſt credere & non credere.
„ Quandoquidem & illi peccant, quos minime putes,
„ Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
„ Hoc admonere ſimplices etiam poteſt,
„ Opinione alterius ne quid ponderent. "

Recte hic ait ex aliorum opinione res non eſſe æſtimandas. Id tamen longe maximum eſt hominum malum, ut rumuſculos quosvis captent, iis fidem habeant, neque oculis ſuis in rem præſentem ire velint. Fuit id & ab Homero olim animadverſum, quum ait, homines cetera omnia præter famam ignorare.

Ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν. *Iliad. β. v.* 486.

Men-

Mendaciſſimam vero eſſe famam, quotidiano experimento eſt compertum. Hoc ſi aliquando evenit, factum ſane eſt hoc tempore a Sycophantis noſtris, qui Germaniam & Italiam pæne univerſam in errorem induxerunt; quæ dum audient poſteri, ut Æſchines *in Cteſiphont.* ait, fabulas ſibi & deliria narrari putabunt. Liberemus itaque humanum genus a præſtigiatorum fraudibus, nudamque veritatem ipſam intueamur.

CAPUT II.

Sycophantæ deſcribuntur. Juvavienſium motuum origo.

EST Juvavii locus, ubi homines degunt illuc undique e Peredia, Perbibeſia, Centauromachia, & Conterebromia profecti. Vitam ibi ſuavem atque beatam agunt Ventres, pancratice, athletice, & pugilice. Cœnas habent Cereales, ut geminam Catii ſcholam decet, & ceſſant ſtrenue. *Λαμπρότατος συλλογισμὸς* unice in pretio habetur, cujus mercatum exercent. Cetera omnia, quæ ſapientibus magnopere cordi eſſe ſolent, eis vehementer diſplicent. Audit tamen locus ille

Ψυχῶν σοφῶν φροντιςήριον.....

Sycophantæ ſtupore vulgi facti nobiles litterarum præfecturam diu ibi gerunt. Fiunt itaque apud eos adoleſcentes ſtultiſſimi. Neque enim, qui ab iis inſtituuntur, magis ſapere poſſunt, quam bene olere, qui in culina habitant. Sermones ibi habentur de vitreis fractis & ſomniorum interpretamentis. Diſputant diligenter *Θηρατὰ λόγων ἀφιλομούσων*, ϗ *λεπτοτάτων λήρων ἱερεῖς*

Ψύλλαν ὁπόσυς ἅλλοιτο τὺς αὑτῆς πόδας.

Sæpe etiam certantes videas, ſtatuantne

\- - - - *τὰς ἐμπίδας*

Κατὰ τὸ ςόμ' ἄδειν, ἢ κ϶ τὐρρόπύγιον;

Uti muſcæ, culiceſque, pedeſque, puliceſque, odio & moleſtiæ, bono uſui nulli ſunt. Optimus nullus poteſt eligi, alius alio pejor eſt. Siniſtra enim pleroſque in lucem natura edidit. Ita pueri in ſcholis ludunt, juvenes ſapere ſe credunt, &, quod

utro-

utroque turpius eſt, quod quisquis perperam diſcit, in ſenectute confiteri non vult. Lutum non eſt lutulentius horum latino ſermone. Gratiæ omnes & Veneres inde exſulant; ſitu, carie, & pedore obſita omnia ſunt. Verſus facient tibi, ſtantes pede in uno, trecentos, homines iratis Muſis nati, quos audiens manibus demiſſis propere abeas domum. Nauteam quis bibere malit, quam inficetas horum declamationes legere. Averroes & Abaelardus ad horum Dialecticen nimii nugatores fuerunt. Ita in ea excolenda toti ſunt. Rerum, Numinisque naturam in cerebro ſuo quærunt. Quæ ante nos evenerunt, nihil nos attinere putant. Pueri ſunt, heſterna ignorant, ajuntque, eſſe Hiſtoriam & antiquitatis notitiam

Ἀρχαῖά γε ϗ Διιπολιώδη, ϗ τεττίγων ἀνάμεςα,
Καὶ Κηκείδου, ϗ Βουφονίων.

Anſati tamen ambulant, incedunt magnifice, veluti ſi Junonis ſacra aut Deorum thenſas ferrent. Deceditur illis e via, σοφῶς inclamatur, ſibi placent. Sulcius olim & Caprius plures libellos ad pilas & columnas non miſerunt, quam hi quotidie conſcribillant peſtes, ſæcli incommoda, & venena.

„ Quis leget hæc? min'tu iſtud ais? nemo, hercule, nemo. „ Perbibeſiæ fines ſacri hi libelli non egrediuntur. Quod ſi inauſpicato pervenerint alio, mittuntur illico in vicum vendentem tus & odores. Soli quum hæc legant, ſoli quoque ſe laudant, alios non morantur. Quidquid extra Perbibeſiam eſt hominum, vappas, bardos, bleunos, buccones eſſe dictitant. Scruta itaque ſua & promerealia, fumos ſcilicet, juventuti vendunt. Nec ſcribendorum librorum finis, etſi nihil ſcribant. Unum noris, omnes noveris. Recoctam crambem centies tibi proponunt. Tricas meras, tramas putridas, caſſam glandem, curculiunculos minutos fabulantur, &

\- - - - - - - - unde laboris
„ Plus haurire mali eſt, quam ex re decerpere fructus.

Nihili hominem fuiſſe ajunt Flaccum, qui pigrum ſe ad ſcribendum fuiſſe fatetur. Nam ipſi, non recte, ſed multum ſcribere, glorioſum ducunt. Delirus quoque erat Fabius, ſi hos audias, nimiumque moroſus, quum ut tarde ſcribamus,

dum-

dummodo diligenter, auctor eſt. *lib. x. Inſt. cap.* 3. Deſipuit etiam, quisquis dixit

Φιλεῖ γὰρ ὀκνεῖν πρᾶγμ' ἀνὴρ πράσσων μέγα.

His imbuti litteris juvenes, hisque doctoribus, cruda ſtudia ſua ad forum, ad rempublicam, ad Eccleſiam afferunt. Hinc illæ lacrymæ:

Οἴμοι μανίας τῆς πόλεως
Ἥτις ὑμᾶς τρέφει
Λυμαινομένους τοῖς μειρακίοις.

Hæc ita erant, quum repente nutare viſum eſt regnum tam bene conſtitutum. Advenerant Juvavium Roma reduces viri aliquot, quibus cor ſapit. His alii ſenſim acceſſere. Conventus ab iis habebatur, ubi de Antiquitatibus & Eccleſiaſtica Hiſtoria, utilibusque aliis argumentis ſermo fiebat. Erat & plurima apud eos Criticæ artis mentio. Percrebuit ſenſim hujus rei fama, donec & ad Sycophantarum aures pervenit. Exhorruerunt hi tamquam e cælo tacti ad *Criticæ artis* vocem. Actum de exiſtimatione ſua eſſe rebantur, ſi, quas litteras ipſi ignorabant, alii excalerent. Curandum itaque ſibi omne ope reputarunt, ut invaleſcenti malo obſiſterent. Primum contemtim de Hiſtoria & Antiquitatibus loqui; deinde, ſi quando annoſam quamdam fabulam ab Eruditis illis viris refelli contingeret, clamare ſtatim & vociferari: res novas circa Religionem tentari, *Criticam artem* invehi, qua nihil ſit pietati magis infenſum; ſine Scholaſticis diſciplinis vere *doctum* neminem eſſe poſſe; alia plura inepta addere, in quibus neque pes, neque caput compareat. His artibus haud paucos viros probos, ne erudito illi conventui accederent, effecerunt. Interea Vir quidam ex Eruditis præcipuus haud ſegniter fucos Scholaſticos & Sycophantas ad meliorem mentem hortari; alii quoque officia ſua ad inſtaurandas litteras polliceri. Aptiſſimus ad hanc rem eſſe videbatur Lamindi Pritanii liber *de Ingeniorum moderatione*. Plura hujus exempla comparata, & ut legerentur, per urbem diviſa. Ubi a Sycophantis lectus eſt liber, tunc etenim paratragœdiari, & querelis urbem implere cœperunt. Quum vero nobiliſſimos viros, qui inter Eruditos erant, palam aggredi nondum auderent, impetus in Lamindum Pritanium eſt factus.

Prius-

Priusquam vero id exſequor, Sycophantarum facinus quoddam longe impudentiſſimum eſt a me referendum. Habet illud vero fere hujusmodi. Fama eſt, complurium ſæculorum opinione firmata, Juvavienſem Eccleſiam conditam primum a D. Ruperto, atque ab eo Benedictinos Monachos Juvavium accitos; Cœnobium D. Petri conſtructum; ipſum Rupertum Benedictinum fuiſſe Monachum; Monachos Cathedralem ipſam Eccleſiam obtinuiſſe, Epiſcopos & Archiepiſcopos diu deſignaſſe; verbo ſplendorem omnem, opes, & dignitatem Juvavienſis Eccleſiæ Benedictinis deberi. Exſtitere nihilominus identidem quidam, qui fabularum loco pleraque hæc omnia habuere. Prodiit itaque nuper Sycophanta quidam, qui libello Campoduni edito Monaſterii D. Petri gloriam verbis arrogantiſſimis extollere eſt aggreſſus. Multa in eo ſunt petulanter in Archiepiſcopos & Pontificum Collegium ſcripta. Ea res optimum Principem permovit, uti Juvavii a Viro quodam Erudito Monachorum inventa & deliria refelli curaret. Diu non latuit Sycophantas Principis conſilium. Atque quum ſibi unice ab Eruditis timerent, quos Criticæ artis ope fabulis omnibus implacabile bellum indixiſſe norant, hos ſibi primum expugnandos propoſuerunt, rati, his oppreſſis, neminem fore, qui Sycophantarum viribus par ſit, aut eos e vetuſtiſſima poſſeſſione deturbet. Hanc itaque tragulam in eos injecere.

CAPUT III.

Reliqua Sycophantarum facinora.

EST quidam e Sycophantis homo gnaviter impudens, ἀχρεῖος ϗ σκαιός, qui corpori ſuo coloris mutandi poteſtatem non reliquit, & illud optime callet, atque opere præſtat:

„Nullus frugi eſt homo, niſi qui & bene & male facere tenet.„ *Eurybatem* merito ſuo hominem hunc appellare lubet. Hic itaque, quem hactenus Eruditi natusne, atque albus an ales homo eſſet, ignorabant, provinciam hanc adverſus Lamindum Pritanium præcipuam ſibi ſumſit. Sed & alia fucorum examina in Eruditos concitavit, πτωχοπλουτίους, & eos, quos bonus

ille Lipſius *Manuduct. ad Stoic. Philoſ. lib.* 1. *Diſſert.* 13. *Cynicos Chriſtianos* appellat. Ego quoque utroſque perpetuo ita appellabo ; εἰ δ' ἔπεστι νέμεσις, οὐ λέγω. Hi omnes compacto rem agunt, velut in Velabro olearii ; deinde Cynici alterius litteras Eurybati tradunt, ſceleſtas illas & mendaciorum plauſtris refertas ubi libellum *de Ingeniorum moderatione* limis oculis Romæ aſpici, & piis viris uſquequaque non probari fabulatur. Spem quoque faciebat, eum brevi nigro calculo Romæ notandum. Litteras has Eurybates tota urbe circumfert, παμβασιλείαν ἀπαιόλην in auxilium vocat. Ait, uti gangræna mala aut herpes, ita Pſeudo-Criticorum ſectam impiiſſimam tota urbe ſerpere. Addit, Muratorium (Superi, quem Virum!) auctorem eſſe peſtilentiſſimæ impietatis, quæ ex ejus nomine *Liberorum Muratoriorum* appellationem ſortita ſit. Id Juvavii, Catholica cumprimis urbe, minime ferendum. Quin & e ſuperiore loco die D. Thomæ Aquinati Sacra, Eruditos illos Viros, dum verba ad Academicam Juventutem pro more faceret, *Pſeudo-Criticorum* nomine traducere & mordere eſt aggreſſus. Quod ſi quis ſcire cupiat, quid cauſſæ ſubeſſe poſſit, cur celeberrimi & optimi Viri Ludovici Antonii Muratorii, qui Sycophantas numquam læſerat, nomen atque libros carpere voluerint, hæc eſt.

Maximam hujus viri famam eſſe quum audirent, facile de σοφῶν φροντιστηρίῳ illius gloria conclamatum fore ſentiebant, niſi in tempore Juvavienſium Eruditorum conatus irritos efficerent, qui Muratorii nomine ſe tegerent. Sunt ab eis quidem loca nonnulla deſignata in libello *de Moderatione ingeniorum*, quæ hæreſeos poſtulabant. At urebant illos magis loca alia plurima, quibus Muratorius Scholaſticorum vitia liberius notat. Adſcribam aliquot ad fidem dicto faciendam. Ait Muratorius *lib.* 1. *de Ingen. mod. cap.* 11. „ Altera deinde ſe offert provincia, „ quam Scholaſticæ potiſſimum atque etiam Polemicæ Theologiæ cultores ſibi vindicant, nempe fidei dogmata rationibus „ etiam atque argumentis a ratione quoque naturali & a Philoſophia petitis probare, & adverſus infideles aut hæreticos „ tueri. Qua in opera ineptire interdum ſolent homines incauti. Siquidem rationi & Dialecticæ ſuæ nimium fidentes, „ aut de rebus altiſſimis, & de divinis Myſteriis, intellectus „ no-

„ noſtri aciem vincentibus, rationes & explicationes adferre „ contendunt, quæ ſibi quidem videntur excelſæ materiæ pa- „ res, re autem vera nullius ſunt ponderis, aut certe ipſa dog- „ mata credere dediſcunt, quod iſta privatæ ac temerariæ ra- „ tioni ſuæ non ſatis congruere videantur. “ Libro vero 2. *cap.* 14. *de Zelo inerudito*, quem vocat, multa ſunt, quæ Sycophantarum rationes convellunt. „ Quod attinet, inquit, ad „ *ineruditum Zelum*, dicimus, nomine Zeli ſignificari hone- „ ſtum illud & laudabile ſtudium, quo accendimur ad colendum „ Deum, ejusque ſervos honorandos, & ad illius legem & veram „ Religionem tuendam atque propagandam. Sed optimus hic „ hominum affectus, ceterorum affectuum, atque ipſarum vir- „ tutum more, in peſſimos exceſſus interdum excurrere poteſt, „ & in illaudanda facinora. Quod tum contingit, quum homi- „ nes pio quidem Zelo ardentes, ſed ſcientia deſtituti, id per- „ agunt, quod ipſi divinæ legi ..... adverſatur. “ Exempla Zeli hujus ineruditi paullo poſt ita perſequitur. „ Zelus noſter „ eo etiam ferri debet, ut non difficiles nos præbeamus ad cre- „ denda Sanctorum hominum geſta, virtutes, ac miracula, „ quæ ab Hiſtoricis fide dignis memoriæ traduntur. Sed iſte „ Zelus honeſtos virtutis fines prætergreditur, ubi nos nimium „ faciles efficit ad credenda quæcumque prodigia, ſeu ut aper- „ tius loquar, ad probandas fabulas omnes, aut leves anicula- „ rum narrantiunculas de admirandis quorundam Sanctorum „ operibus, aut Antiquitates fictas, & Lipſana non ſatis pro- „ batæ fidei. Sanctis ipſis Martyribus & reliquis Beatis, & Dei- „ paræ potiſſimum, debemus honorem non exiguum..... Sed „ immoderato & minime laudabili Zelo ardebit, quisquis talem „ ipſis honorem deſert, qualis uni DEO convenit, aut ab ipſis „ ita poſcit ac exſpectat non temporalia ſolum munera, ſed ip- „ ſam peccatorum remiſſionem & vitam æternam, ut illos ex „ interceſſoribus facere Deos videatur; aut omnia pietatis of- „ ficia in iſtis potius ſibi demerendis, quam in Deo placando „ collocat; & ipſos iis nimiis laudibus extollit, quas perfecta „ diſciplina ægre ferat, immo ipſi e cælis minime probare cre- „ dendi ſunt; eorumque imagines & ſacras reliquias, & dies „ feſtos cultu immodico proſequitur. “ His explicatis, quæ

„ ſcientia ad Zelum ineruditum evitandum ſit neceſſaria docet. “
„ Quapropter, inquit, nihil magis commendandum eſt Eccle-
„ ſiæ præpoſitis, quam ut impenſum in *Eccleſiaſticam Erudi-*
„ *tionem* ſtudium conferant, quo ſingula tum ad Chriſti do-
„ ctrinam, tum ad diſciplinam ſpectantia recte ipſi ſciant, &
„ alios docere ſubinde poſſint. Meminerint, quid per Oſeam
„ Prophetam Deus olim edixerit *Oſeæ cap.4. v.6. Conticuit po-*
„ *pulus meus, eoquod non habuerit ſcientiam, quia ſcientiam re-*
„ *puliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Proinde ne-
„ ceſſe ſaltem eſt, ut Eccleſiæ Paſtores ſupremi miniſtros ſibi
„ adſciſcant, aut homines ad conſilium adhibeant, quibus con-
„ ſummata ſit iſtius eruditionis peritia. Alioqui ſi Zelus ineru-
„ ditus, & in plebe potiſſimum, ſedulo non coerçeatur, Super-
„ ſtitio immane malum, & æque ac ipſæ hæreſes formidandum,
„ invalebit, Sanctiſſimæque Religionis vultum ſummopere de-
„ formabit. Monſtrum iſtud, Superſtitionem inquam, igno-
„ rantia parit, Zelus immoderatus nutrit ac fovet. Quod enim
„ omnium peſſimum eſt, hujuſmodi inſipientis Zeli culpa ſæpe
„ fit, ut abuſus inveteratos, pietatis referentes ſpeciem, ne-
„ mo tollere aut tolli ſuſtineat. Immo ſiqui melioris notæ Eru-
„ diti voce aut calamo in Superſtitionem aut gliſcentem aut ve-
„ tuſtam inſurgere cupiunt, interdum aut ne hiſcere quidem
„ ſinuntur, aut certe parum Chriſtiani animi famam in ſe con-
„ citant, & ſcandala ſtatim excitare poſſe creduntur. Ergo
„ quis non intelligat, quanta ſit neceſſitas eruditionis & ſcien-
„ tiæ, ne veritas lædatur ac ſupprimatur, neve Superſtitio re-
„ gnet? Neque vero putes ad tantum negotium ſufficere *Scho-*
„ *laſticorum Theologiam*. Dogmatica heic opus eſt in primis,
„ & non mediocri Controverſiarum, quas cum hæreticis habe-
„ mus, peritia. “ Paullo poſt Vir Clariſſimus mala, quæ ex in-
erudito Zelo proveniunt, hunc in modum enumerat. „ Zelum
„ ineruditum alterum illud incommodum fere ſemper conſe-
„ quitur, de quo alias conqueſti ſumus, & quod heic repetere
„ non puto ſupervacaneum, nimia videlicet formido, ne qui-
„ cumque minus cum vulgo ſapit, ac aliter loquitur, quam
„ vulgus, Religioni & Eccleſiæ Sanctiſſimæ exitium creet. Ne-
„ quit emunctæ naris eruditus, quin abuſus in Eccleſiaſticam

„ diſci-

„ diſciplinam identidem irrepentes, animadvertat; quomodo „ enim maculæ iſtæ ſe ſubducant oculis legentium monumenta „ Summorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum? *Ars Critica*, neceſſarium in Eccleſia Dei flagellum ad impoſturam „ omnem erroresque tollendos, Erudito homini interdum aperit, quæ ſint conficta miracula, qui apocryphi & ſuppoſititii „ libri, quidve a magni etiam nominis Scriptoribus in Hiſtoria „ & eruditione Eccleſiaſtica peccetur. Siquis tamen Zelo ſecundum ſcientiam incitatus, quod majores noſtri cum laude „ fecerunt, facere & ipſe velit, hoc eſt, aut voce aut ſcriptis „ hujuſmodi abuſus ac peccata prodat ac eliminare nitatur, „ non modeſtiam, non prudentiam oblitus: ignara gens non „ raro exhorreſcit, & ejusmodi Eruditos ſuſpicione gravat non „ temeritatis ſolum, ſed etiam languentis pietatis, fideique „ etiam titubantis.“

Loca plura non exſcribo. Hæc ſatis eſſe poſſunt, ut quivis intelligat, e re Sycophantarum fuiſſe, ſub Muratorii nomine adverſus Juvavienſes Eruditos impreſſionem facere. Hoc hoc illud eſt ulcus, quod cruciat, hoc quod peraceſcit. Ex uno puteo ſimilior numquam poteſt aqua aquæ ſumi, quam ſunt hæc Muratorii monita, & illa, quæ tunc Juvavii gerebantur. Putidiſſimum vero erat, *Murariorum* appellationem a Muratorio ducere. Jactatur quidem paſſim ab annis aliquot per Europam univerſam *Liberorum Murariorum* nomen. Parum quoque ſecunda eſt apud multos eorum fama. At nihil Juvavienſibus Eruditis & Muratorio cum *Murariis* illis commune. Eurybates tamen, unius litteræ homo, quo facetior videretur, & ſcire plus quam ceteri, Muratorium factionis principem eſſe garriens, urbem totam, angiportus, angulos omnes perreptat; ſellularios, tabernarios, & mulierculas novæ impietatis terrore commovet. Senſim itaque augetur in urbe rumor de *Murariorum Sodalitate* in Catholicæ religionis perniciem Juvavii inſtituta. Per ea tempora ſorte fortuna evenit, ut quidam e Lipſianis Philoſophis (Antiſthenes nomen viri eſt) Virgini Dei Matri die ſacra e ſuperiore loco diceret, diviſum eſſe inter Deum & Mariam Juſtitiæ & Miſerationis regnum. Offendit ea res Eruditorum nonneminem, ut graviter coram paucis ſpectatis viris ſtultitiam homi-

hominis iniquo animo ſe ferre oſtenderet. Pæne me fugerat, eſſe & ſuas Juvavii Ἐκκλησιαζούσας, in quibus Praxagora reliquis omnibus ſapientia præſtare creditur, ut ſtellas ceteras vincit exoriens aureus Sol. Hujus tamen ſapientia, quantacumque demum illa ſit, aut eſſe credatur, *Theocrini* Sycophantæ præſtigiis tota eſt obnoxia. Theocrinus hic, qui Eurybatem familiarem ſibi habet, ſella prima inter Sycophantas ſedet, pantherinus homo, qui flare & ſorbere ſimul ſcit, & nequam beſtiam & damnificam involvulum imitari. Idem, ſi lubido fuerit

„ Fiet apes, modo avis, modo ſaxum, & quum volet, arbor. "

Huic itaque Theocrino indicat Praxagora, quod a nobiliſſimo Viro acceperat, de Antiſthenis dicto ab Erudito quodam in cenſuram vocato. Theocrinus Crateti, Antiſthenis Sodali, quæ geſta ſint, refert. Exarſit homo cenſuræ impatiens, atque e ſuggeſtu coram populo declamat, negari a quibuſdam Mariæ honorem, ut *Miſerationis Mater* appellari poſſit, & cantionem illam *Salve Regina* non probari. Conveniunt Sycophantæ omnes, conſilia ineunt, machinas omnes, ut Eruditos perdant, excogitant. Neſcio vero, quo caſu, factum quoque tunc eſt, inſciis Juvavienſibus Eruditis, ut Juvenis nobiliſſimus Juvavii coram Sycophantarum conſeſſu, & Romæ Vir Eruditus Raymundus Cecchetus eodem fere tempore de miſeranda litterarum facie apud Sycophantas noſtros differerent. Non pigebit Ceccheti verba adſcribere ex ejus Oratione in funere J. Erneſti Harrachii Epiſcopi Nitrienſis Romæ habita: „ Latiſſime, inquit, in Germania patet S. Benedicti inſtitutum, plurimaque exſtant „ Monachorum Cœnobia, eademque frequentiſſima, quæ propter Magiſtrorum inopiam vel nulla habent ſtudia, vel prorſus inania. Jam diu erat quum (Harrachius) iniquiſſimo animo ferebat, quod quum ejuſdem Ordinis Monachi tum in „ Italia, tum in Gallia SS. Patrum ſcientiam, dogmaticam „ Theologiam, Criticen Sacram, & reliqua hujuſmodi ſumma cum laude & fructu profiterentur, ac docerent; iidem „ in Germania, ſiqui Theologiæ darent operam, in ſolis vocularum captionibus & quæſtiunculis plane ſupervacuis ſine ſua, „ ſine aliorum prope ulla utilitate occuparentur. Animadverterat porro ſæpe accidiſſe, ut unius viri judicium & ſcientia

certam

„ certam hominum ſocietatem ſeu Provinciam vel univerſam „ ad ſanitatem moris aut doctrinæ revocaſſet. Noverat, noſtros „ etiam Monachos non multis abhinc annis in eadem eſſe calamitate verſatos, apud quos per duos tantum vel tres homines „ ſuum ſacris ſtudiis honorem eſſe reſtitutum. Audierat præſertim Patavinum S. Juſtinæ Cœnobium incredibili quadam ſacrarum litterarum laude florere, & vehementer admirabatur, „ tanti ac tam præclari & fructuoſi ornamenti unum Leonardum „ Portiam, nunc R. E. præſtantiſſimum Cardinalem, principem auctoremque exſtitiſſe. Quibus exemplis & rationibus „ adductus, quatuor ex Germania adoleſcentes Monachos ingenio eximios Romam accerſere conſtituerat, qui a doctioribus „ Magiſtris ſolidiſſimam doctrinam haurirent, donec univerſam „ ſacrorum ſtudiorum, optimamque rationem adepti eſſent. „ Tum denique in patriam reverti; ibi eo magis ac magis conſiliis confirmare, auctoritate tueri, omnibus adjumentis inſtruere. Spes erat injecta illi plane explorata, hoc pacto fore, „ ut optima ſtudiorum ratio primum in Salisburgenſem Academiam, in qua ab iiſdem Monachis diſciplinæ traduntur, deinde non ſolum in Nitrienſem Eccleſiam, ſed paullatim in „ totam Germaniam propagaretur. Id vero non uno animo finxerat, ſed jam prope erat, ut reapſe perficeret. Magnum „ ſane atque excelſum conſilium, cujus rationem ubi primum „ mihi declaraſſet, jam inde cum maximis rebus toto orbe terrarum geſtis conferendum putavi, & memoria hominum celebrandum ſempiterna.“ Hæc Cecchetus.

Nobiliſſimus vero Juvenis ille, quem dixi, Juvavii, die S. Ivoni ſacra, habita ad Juventutem Academicam Oratione, Sycophantarum, qua diſciplinas univerſas tradunt, rationem multis iisque acerbioribus verbis eſt inſectatus. Equidem ultra ferendum tunc illis hoc viſum non eſt, ſed quum conjuratum ab Eruditis adverſus ſe eſſe arbitrarentur, arma expedienda, & σοφῶν φροντιστηρίου famam ſummopere vindicandam eſſe cenſuerunt. Depoſcit ſibi magno cum clamore inter menſas & pocula, ut ſolet (ſolet autem ſæpiſſime) laborem hunc e Sycophantarum numero *Phrynondas*, exporrectæ audaciæ homo, qui nihil agendo eo exiſtimationis pervenerat, ut Cymbalon juventutis haberetur.

tur, atque in illo totius Perbibeſiæ opes ſitæ eſſe crederentur. Solemnis itaque ſupplicatio, quæ ad ſuburbanum Mariæ fanum inſtitui ſolet, quum haberetur, verba is ad populum fecit, idque argumentum delegit, quod Eruditis in invidiam vocandis eſſet aptiſſimum. Inciderant in ejus manus *Sacræ* Muratorii *Exercitationes*, optimæ frugis libellus. Nihil ergo ſive Sacri Oratoris munus, ſive loci ſanctitatem, aut Religionis & Veritatis majeſtatem reveritus, totus faſtu & bile tumens, Orationem habet, qua demonſtrare adverſus Muratorium contendit, legem exſtare a Deo, Natura, & Eccleſia conditam, de Cælitibus ſive Sanctis, atque cum primis Virgine Deipara a piis Catholicis neceſſario invocandis. Nec obſcure adverſus Eruditos ſe agere pluribus locis ipſe indicat; inter cetera vero & fabellam renovat de *Miſeratricis* appellatione Virgini denegata, & cantione *Salve Regina* ab iisdem improbata, quam Antiſthenes ille ſive Crates, ut diximus, confinxerant. Ubi vero hujus rei fama ad Eruditos pervenit, probare ſe nullo modo Phrynondæ factum præſeferunt. Hic ille æſtuare & indignari, quod homines *indocti*, quorum aliqui Theologiam nec a limine ſalutaſſent, de Religionis capitibus ſententiam in *Doctores* ipſos ferre vellent. Unum illorum coram quoque convenit. Poſtquam amice inter illos ea de re diſceptatum, ita utrimque diſceditur, ut neuter ſententiam mutaret, omnis tamen ſimultas ſublata eſſe videretur. Neſcio tamen quibus furiis actus Phrynondas Orationem publicis typis deſcribi curat, notationes addit, quibus Muratorium ipſum deſignat, Eruditos calumniis impetit. Enimvero triumphare Sycophantæ, inſtare acriter, concionis exempla in populum ſpargere; addere, *Murarios* eo impietatis progreſſos, ut cultum omnem & honorem Cælicolis & Virgini denegent. Rumor deinde tota urbe labitur de novo hoc *Murariorum* ſcelere. Vidiſſes plebem ſive timore, ſive rei inſolentia defixam; mulierculas & ſervitia, ac pæne pueros audiſſes in compitis de *Murariis* & *Muratorio* ſermones ſerere, & communem hanc calamitatem deplorare. Non potuit res diutius fugere optimum Principem, quem & illud offenderat, Phrynondam in concione illa ſua Principem ipſum, tamquam ſententiæ ſuæ faventem, in teſtimonium vocare. Itaque mandat Archie-

piſco-

piſcopus, ut concionis exempla omnia, quotquot adhuc exſtabant, ex libraria officina ad *ἱεροδικαςῶν* ædes deferantur, neque ullum amplius, niſi ſe jubente, venum proponatur. Sapientiſſimum erat Principis conſilium, plurimum ſua intereſſe putantis, tum ne novæ & profanæ doctrinæ in vulgus ſpargerentur, tum ne harum obtentu tumultus in populo excitaretur. Hac re in deſperationem acti Sycophantæ modum nullum amplius tenuere. Diſcurrebant lymphati per urbem; ſummos, infimos ſeditioſis ſermonibus in Principem concitant; actum eſſe de Religione noſtra, ſublato Mariæ cultu, vociferantur; *Murariorum* impietatem a Principe ipſo probari; Aulam totam, nobilem præcipue Juventutem, & Viros nobiliſſimos Principi ſanguine junctos ea lue eſſe infectos. Famoſi libelli per urbem noctu affiguntur; Murariorum aliqui ad necem expoſtulantur; populus Juvavienſis ad vindicandum Mariæ honorem incitatur. Inſignis fuit præ ceteris hac in re Eurybatis & Theocrini opera. Compita ille & domos circumcurſat; populares homines Mariæ addictiſſimos exaſperat; concitat in Principem & Eruditos Academicam Juventutem. Nec obſcuris indiciis conſtabat, famoſos illos libellos ab eo fuiſſe conſcriptos, eoque curante per urbem affixos. At Theocrinus apud *Ἐκκλησιαζούσας* & Praxagoram malis his illacrymari, potentiores prenſare, nihil omittere, quod rebus ſuis ſuſtentandis opportunum eſſet. Litteræ deinde a Sycophantis per totam Germaniam datæ de nova Murariorum Secta, quæ Juvavii, Principe ipſo ſpectante & non prohibente, impune graſſetur, atque de abolito Mariæ cultu. Quin & Purpurati quidam Patres Romæ per litteras moniti, eorumque tutela implorata. Interea Juvavii malum in dies gravius fieri. Conjurant inter ſe Sycophantæ omnes; Lipſianos illos Cynicos, *πτωχοπλουτίας*, alios ad communem cauſſam agendam hortantur. Reſonare illico templa ſeditioſis concionibus; Phrynondæ doctrina e ſuperiore loco populo commendari; plebs nil cogitare, nil agere aliud quam de Murariis; poſtremo res ad ſeditionem non obſcure ſpectare videbatur. Accidit, ut in *ἀσοφωτάτων σοφῶν φροντιςηρίῳ* per eos dies perſonatum quoddam ſpectaculum ederetur, ubi Eurybates præcipuas partes agebat. Evomuit ille virus, quod in præcordiis habebat, coram frequente concione in Muratorium, quem omni probrorum ge-

 nere

nere oneravit. Hominis impudentia & Monachis quibuſdam ſapientioribus non probata. Princeps re intellecta, Eurybatem hunc motuum fere omnium auctorem eſſe, neque horum finem futurum, niſi hujus audacia compreſſa, jubet eum Academico Senatu moveri. Sycophantam deinde alium, qui mendaciſſimas litteras, & in Principem ipſum injurioſas, in Rhetiam miſiſſe deprehenſus fuerat, calumnias ſuas palam recantare curat. Antiſthenem & Cratetem illos impudentiſſimos, & πτωχοπλουσίους ſerio monet, ut a turbulentis concionibus abſtineant. Quare Lipſiani illi Cynici Principis mandatis acceptis in ſummo urbis templo a ſe eodem e loco dicta palam recantant; reliqui imperio minus obſequentes fabuloſas quoque narrationes adhibent, ut populum ad cædem Murariorum exſtimulent. Parentes in liberos, uxſores in viros armant. Mulierculæ & imperita plebs dubitationibus circa religionem angi. In montana regione, unde Lutheriani pulſi fuerant, inter Miſſionarios, quos vocant, diſſidia exorta, capitali Religionis noſtræ incommodo, his Phrynondæ concionem tuentibus, his improbantibus. Nobiles, ignobiles, litterati, & illitterati, &, quos præſertim non oportebat, ἱεροδιδάσκαλοι in Sycophantarum ſententiam concedunt. Praxagora ſui impotens ululatibus omnia implere, paſſim illud inclamare

- - - - . ἄχθομαι καὶ φέρω
Τὰ τῆς πόλεως ἅπαντα βαρέως πράγματα.

At Eurybates ſtigmatias, & frontem totam ignominiæ notis compunctus, veluti Cybeles Sacris initiatus huc illuc palabundus errat, popularium opem invocat.

- - - - Ἰοὺ, Ἰού.
Ὦ γείτονες, καὶ ξυγγενεῖς, καὶ δημόται,
Ἀμύνατέ γέ μοι τυπτομένῳ πάσῃ τέχνῃ.
Οἴμοι κακοδαίμων τῆς κεφαλῆς, καὶ τῆς γνάθου.

Dum hæc Juvavii gerebantur, creſcere interea in dies per Germaniam univerſam novæ impietatis Murariæ fama. Fidem ſuperat, quam late, & quam brevi temporis ſpacio ea propagata ſit. Adveniebant undique Juvavium nuncii, rem ad Cæſaris ipſius, Novemvirorum, aliorumque Summorum Procerum aures perveniſſe. Manavit deinde & illa ad finitimarum Provinciarum plebem, ita ut vel apud infimos e populo homines nihil eſſet

ſet vulgatius Murariorum Juvavienſium nomine. Nec Archiepiſcopo parcebatur, quem paſſim ut impietati faventem traducebant. Nova malo huic acceſſio facta, quum Theocrinus in Vindeliciam & Rhetiam, Eurybates vero & Phrynondas in Noricum & Pannoniam, alii vero alio per autumnales ferias profecti, quod ſcriptis litteris prius fecerant, viva voce confirmarunt. Fidem apud pleroſque, præſertim imperitos, invenere Sycophantarum calumniæ. Turpiter tamen ſe aliquoties dedere. Vindobonæ Eurybates a præſtantibus viris ſibilis eſt exceptus, Grætii Styrorum Phrynondas. Doctiſſimi quique e Benedictino Ordine Monachi Juvavienſium Sycophantarum incepta exſecrabantur. In his ampliſſimum Gotwicenſem Præſulem, Clariſſimum Pezium, & quosdam Reginoburgi numeramus. Spectati quoque viri e Jeſuitica Sodalitate haud obſcure Sycophantis adverſari. Intolerandum ſane erat tot populos pati a Sycophantis decipi. Sero itaque a Juvavienſibus Eruditis de apologia edenda cogitatum. Theocrinus e Vindelicia redux, ubi apologiam ab Eruditis parari intellexit, eamque duplicem, vernaculo & latino ſermone, veritus, ne ſodalium ſuorum præſtigiæ detegerentur, egit apud civitatis Primores, ut junctis viribus curarent apud Principem, ne eam edere Eruditis liceret. Quum res utrimque haud ſegniter gereretur, pervicit Theocrinus Ὀυτίνος cujuſdam ope, Juvavienſibus Eruditis æque amici, atque Homericus ille Palamedi, ut Principe pæne invito ac diu repugnante Edictum proponeretur, quo, ne de controverſia hac impoſterum diſceptare, neve de ea ſcriptis quidquam committere fas eſſet, imperabatur. Ita innocuis & Eruditis Viris famæ ſuæ tuendæ facultas omnis ademta. Tentatum quoque fruſtra eſt de Eurybate reſtituendo. Quare ſpe omni deciſa, ne ſi ille diutius Juvavii moraretur, Sycophantæ dedecus ſuum ipſi ſpectare cogerentur, relegatus ab Hierarcha ſuo in Pannoniam eſt.

CAPUT IV.

Quæ hujus Scripti ratio, quodve argumentum.

NUnc vos appello, quotquot eſtis Litterariæ Reipublicæ
„ Optati Cives, populares, incolæ, accolæ, advenæ omnes; „
num æquum erat, ſilendi lege Eruditis Viris Juvavii impoſita, neminem de eorum defenſione eſſe ſollicitum? Ferendumne erat, ut qui Romanæ Eccleſiæ parum amici ſunt, ea de Orthodoxis eſſent opinione, regnare apud eos monſtroſa Sycophantarum placita, omnia ibi horum arbitrio geri, nullumque eſſe cordatum virum, qui his obviam ire ſuſtineat? Quid memorem optimi Principis & nobiliſſimorum Virorum famam laceratam? Populorum omnium & Sæculorum conſenſu probatum eſt Platonis illud *Socrat. Apolog.* ἀπολογητίον, atque huic ſimile apud Demoſthenem *pro Corona* Heliaſtarum jusjurandum: ἀκροάσομαι τῦ τε κατηγόρυ, ϗ τῦ ἀπολογυμένυ ὁμοίως ἀμφοῖν, quod non Atticis modo legibus, ſed a natura quoque ipſa traditum eſt. Committendum itaque non putavi, ut cauſſa tam juſta Sycophantarum improbitate defenſore deſtitueretur. Uſurpabo vero hic vetus dictum in re nova: „ Mea fuit ſemper in hac re voluntas & ſen„ tentia, quemvis ut hoc mallem de iis, qui eſſent idonei, ſu„ ſcipere, quam me; me ut mallem, quam neminem. “ Subeo itaque defenſionis onus, non quod Juvavienſes Eruditi idonei ipſi rebus ſuis tuendis non ſint, ſed propter vetuſtiſſimum illud:

Τῶν κρατούντων ἐςὶ πάντ' ἀκυσία.

Ita vero in hoc negotio verſabor, ut licet tumultuum origine explicata cauſſam peroraſſe videri poſſim; ad demonſtrandam tamen Sycophantarum incredibilem imperitiam, ceterasque fraudes palam faciendas, Phrynondæ illius Orationem, quæ maxima fuit præteritorum motuum cauſſa, ſeveram ad limam exigam. Hunc ego, etſi is ſolum ſe vigilaſſe opinetur, cum omni barbaræ doctrinæ ſuæ inſtrumento, urat ſe licet uſque torqueatque, tam frictum vobis reddam, quam frictum eſt cicer. Nolite

lite vero, quæſo, ſiquid forte jocoſius ſcripſero, omnia quæ loquor putare

„ Per luſum mihi per jocumque dici. „

Erit & ſuus triſti ſermoni locus, ubi argumenti gravitas expoſcet; erit & ſæpe jocoſo, ubi unice mihi cum hoc vulturio res erit. Probe enim calleo, ubi currendum, ubi ſtrigandum ſit. Quod ſupereſt, Eruditos Viros, qui hæc legent, rogatos volo, ut ſi nihil eruditione, nihil exſpectatione eorum dignum protulero, non id mihi, ſed hominum, ſi modo homines ſunt, quibuſcum pugno, inſcitiæ attribuant. Oportuit etenim me Phrynondæ Orationis veſtigiis preſſe inſiſtere, atque ad turpiſſima & ſcutica digna flagitia ejus demonſtranda ſæpiſſime ad ea deſcendere, quæ quum notiſſima & tritiſſima ſunt, mihi ipſi faſtidium, dum ſciberem, pepererunt. Lucilius ſcripta ſua a Decimo Lælio, mediocris doctrinæ homine, legi volebat, a Perſio vero, Romanorum ea ætate doctiſſimo, nolebat. Contra Cicero 1. *de Finib. cap.* 3. ſua a ſolo Perſio probari maluiſſet. Mihi neutrum hodie contingere poterit. Ea enim quæ ſcripturus ſum, nec quæ a Læliis legantur, digna reputo, cuculi hujus, quem probe depexum vobis dabo, ſtultitia & ignavia. Libertate utor decembri, quantum ingenuum hominem decet, in Therſitem hunc, ſed promeritis minore. Pudebit fortaſſe aliquando ſtudioſos adoleſcentes, cui præſertim ætati favere nos decet, ab hujus ore tot annis pependiſſe.

- - „ Teneros animos aliena opprobria ſæpe
„ Abſterrent vitiis. “

Ἀρχαϊκῶς & κακοζήλως ſcripſiſſe me quis arguet, dicetque, ſtultum eſſe ita defenſionem adornare, ut a paucis intelligi poſſit. Huic ita repono, multas fuiſſe cauſſas, cur hæc ſcribendi ratio accommodatiſſima viſa fuerit. Primum, ut viri docti ex hoc ſcripto ſentiant, quinam ii ſint, quos Sycophantæ lacerant. Deinde, ut Sycophantis ipſis, qui hæc Muſarum penetralia numquam ſubierunt, neque hæc intellecturi ſunt, quanta eorum ſit inſcitia, oſtenderem. Poſtremo, ne cauſſari poſſent, velle me vulgus in Monaſticos Ordines concitare, ita erat ſcribendum, ut a paucisſimis & Eruditis tantum hæc rite percipi poſſent.

- - - ſi

Digitized by Google

- - - - ὐ γὰρ ἐν φίλοις
Ὁ μῦθος, ὐδὲ πᾶν ἀναπτύξαι πρέπει
Πρὸς φῶς.

Profanum vulgus non moror, neque populares plauſus captare animus umquam mihi fuit. Bonis & vere doctis ac Eruditis Viris placuiſſe, hæc maxima laus eſt.

Jam quid Muratorio Phrynondas, Scipiadæ ſcilicet magno improbus Aſellus objiciat, cognoſcite. Ad te modo mea ſe convertit oratio, inſulſe Sophiſta. Quæ, malum, te veſania præcipitem egit, ut quum homo ſis ἀμαθὴς καὶ βάρβαρος, Virum tota Europa longe celeberrimum, & eximia doctrinæ laude ubique florentem tantillus homullus aggredereris? In hunc ſane virum impetum ſi facere paras,

Δεινῶν δέ σοι βυλευμάτων ἔοικε πρὸς αὐτὸν
Εἴπερ τὸν ἄνδρα ὑπερβαλεῖ ἢ μὴ γέλωτ᾽ ὀφλήσῃς.

Tu ingenti quidem apud tuos, quibus nec ſenſus ineſt nec cor, haberis in pretio; at ultra Gurguſtidonios campos fama tua non proceſſit. Ille, ubicunque melioribus litteris honos eſt, inter maxima ſæculi hujus ornamenta numeratur. Tu ſcripta non pauca quidem, ſed ut litteris oneri eſſent, in vulgus protruſiſti. Ille, ſi ſcriptorum quoque numerus laudi eſt, te longe plura & utiliſſima in lucem emiſit. Tua a Perbibeſiæ civibus teruntur; illius in clariſſima univerſæ reipublicæ litterariæ luce verſantur. Tua paullo poſt cum tineis & blattis pugnatura ſunt; horum præſtantia, æternum ut perdurent, efficiet. Tu præter τῶν λόγων πλεκτάνας, in quibus tuo judicio plurimum excellis, rudis planes, & in meliore litteratura prorſus ἀναλφάβητος. Ille, tum ingenii bonitate, tum pertinaci conſtantia, atque perpetua exercitatione admirandam eruditionis copiam in omni fere litterarum genere ſibi comparavit. Tu, tantum abeſt, ut ſcriptis tuis rem Catholicam promoveris, ut peſſime potius de ea ſis meritus, maximisque illa cachinnis a Proteſtantibus excepta ſint. Hic feliciſſime, & ſumma cum R. Eccleſiæ gloria adverſus J. Clericum, & Thomam Burnetum bonis omnibus plaudentibus pugnavit. I nunc, & Muratorio te confer, manusque cum eo confere. Verum his tantisper ſepoſitis, quis tu, quis ille ſit, quærere ſuperſedeo. Quin potius animum, ut Lucretio placet, veram ad ra-

tionem

tionem adhibeamus. Fingamus, ſi ita lubet, te non Eruditis modo Juvavienſibus, ſed & Muratorio ipſo ſtadiis multis ſapientiorem eſſe. Attamen, quum accuſatoris munere fungaris, monitum illud Luciani *περὶ τοῦ μὴ ῥαδίως πιστεύειν διαβολῇ*, longiuſculum licet, hic adſcribere juvat, negotio huic aptiſſimum: *Ἐπειδὰν τοίνυν τοιαῦτα προσίῃ τις λέγων, αὐτὸ ἐφ' αὑτοῦ χρὴ τὸ πρᾶγμα ἐξετάζειν, μήτε ἡλικίαν τοῦ λέγοντος ὁρῶντα, μήτε τὸν ἄλλον βίον, μήτε τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀγχίνοιαν. ὅσῳ γάρ τις πιθανώτερος, τοσούτῳ ἐπιμελεστέρας δεῖται τῆς ἐξετάσεως. Οὐ δεῖ τοίνυν πιστεύειν ἀλλοτρείᾳ κρίσει, μᾶλλον δὲ μίσει τοῦ κατηγοροῦντος· ἀλλ' ἑαυτῷ τὴν ἐξέτασιν φυλακτέον, τῆς ἀληθείας ἀποδόντα, καὶ τῷ διαβάλλοντι τὸν φθόνον, καὶ ἐν φανερῷ ποιησάμενον τὸν ἔλεγχον τῆς ἑκατέρου διανοίας, καὶ μισεῖν οὕτω, καὶ ἀγαπᾶν τὸν δεδοκιμασμένον. πρὶν δὲ τοῦτο ποιῆσαι, ἐκ τῆς πρώτης διαβολῆς κεκινημένον, Ἡράκλεις, ὡς μειρακιῶδες, καὶ ταπεινὸν, καὶ πάντων οὐχ ἥκιστα ἄδικον.* Hæc in tui gratiam, qui græca non intelligis, latine reddam:
„ Si quis itaque, inquit Lucianus, ad te calumniator ac-
„ ceſſerit, oportet te apud te ipſum totum negotium perpende-
„ re, neque dicentis ætatem, aut vitæ genus, aut ſermonis acu-
„ men ſpectare. Quanto enim paratior venit quis ad perſuaden-
„ dum, tanto accuratius res eſt inveſtiganda. Non igitur alte-
„ rius judicio fides habenda, aut accuſatoris odio, ſed nobis ipſis
„ inquiſitionem reſervare debemus, quod ſuum eſt veritati, &
„ accuſatori æque dandum. Poſtquam vero res in aperto poſita
„ erit, & partis utriusque argumenta conſiderata, odiſſe aut di-
„ ligere oportet, quem alterutro dignum inquiſitio oſtenderit.
„ Præpoſtero vero ordine vix auditam accuſationem probare,
„ hercule, puerile nimis eſt & miſerum, atque longe injuſtiſſi-
„ mum." Luciani locus hic auro contra carus eſt. Neque hujus auctoritatem defugere ulla ratione potes. Largitus enim tibi ſum perquam liberaliter, nolle me ad cauſſam hanc Muratorii nominis celebritatem afferre, nec aliis plurimis uti, quæ Oratores utiliter adhibere ſolent. Quare æquiſſimum me poſtulare exiſtimo, ut & ii, apud quos tua tantum ceterorumque Sycophantarum fama & accuſatio innotuit, Muratorii vero & Eruditorum neque ſenſa neque ſcripta noverunt, aut quo pacto res geſta ſit, rite non perceperunt: hi non ex anticipata nominis tui apud eos celebritate, aut doctrinæ tuæ opinione Sententiam ferant, aut

demum

demum ex vitæ tuæ genere, quod Monachus, quod in Univerſitate Juvavienſi jam dudum Doctor ſis, probum quoque te virum & doctum eſſe, atque vera dicere judicent. Hæc cum Luciano utrinque ſeponi tantisper volo, atque animum ad illa adverti, quæ mox de Sycophantia & imperitia tua innumeris prolatis argumentis dicturus ſum. Etenim, ſi ex Oratione tua cumulatiſſime demonſtravero, nullas te niſi peſſimas litteras ſcire; peſſimeque te Sacri Oratoris, orthodoxi Theologi, boni civis & honeſti viri officio & munere eſſe functum; eamque non pudendis modo erroribus ſcatere, ſed & calumniis, & in Eruditos homines malevolentia eſſe refertam: confido ſane me, id quod initio poſui, eſſe vos imperitiſſimos & nequiſſimos Sycophantas atque calumniatores, iis qui hæc legent, abunde probaturum eſſe.

CAPUT V.

Phrynondæ Oratio excutitur. Legem de Sanctis & Maria præſertim invocandis exſtare vult. Alii cum eo conſentiunt. Oratio inſcio Principe editur. Habetur ruri coram imperitis auditoribus. Conciliorum hac de re decreta. Directa eſt in Muratorium & Juvavienſes Eruditos. Horum odio, non Mariæ honore permotus Phrynondas Orationem habet & edi curat. D. Caroli Borromæi hac de re locus. Quæ poſt editam Orationem ſequuta ſint. Tota Oratio non de morali Mariam invocandi neceſſitate, ſed de lege agit.

VIDEO in ipſo Orationis veſtibulo ſcripſiſſe te: „Non tantum „ bonum eſſe ac utile, verum etiam neceſſarium & præ„ ceptum, Dei Sanctos in Cælo regnantes, præſertim vero Bea„ tiſſimam Dei Matrem venerari & invocare.“ Legem, quam tute tibi ipſi poſuiſti, lubens accipio, atque ratum firmumque habeo, Orationem totam eo tendere, ut legem quamdam exſtare demonſtres, qua Sanctos & Mariam invocare jubeamur. Teneo te, nec elabi te ſinam. Qua in re non parum me tibi debere profiteor, quod rem totam in ipſa libelli fronte ſine ulla circuitione explicaveris. Calumniatores enim ceteri, ut ab Æſchine

ne

Digitized by Google

ne *adverſus Cteſiphontem* eſt animadverſum, ne fraus tam facile detegi poſſit, verborum involucris utuntur, rem aperte numquam enuntiant, ſed effugio locum ſibi relinquunt. Tu vero, quod ſentis, tam dilucide es eloquutus, ut tanto major ſtultitia aut impudentia tua habenda ſit. Placet illud, quod Orationem hanc *ad multorum petitionem in lucem te emiſiſſe* dicas. Hoc apertum eſt argumentum, rem totam non temere, ſed inito cum Sycophantis ceteris conſilio fuiſſe perfectam. Cauſſam itaque univerſam atque culpam cum illis omnibus communem tibi eſſe volo. Neque enim fieri poterat, ut niſi idem quod tu & illi ſentirent, precibus apud te contenderent, ut ſcriptiunculam hanc evulgares. Quod potiore longe jure de illis pronuntiare poſſum, quorum *permiſſo* Oratio tua typis publicis eſt deſcripta. Ne vero incauti Lectores eam ab optimo Principe, aut ab ejus, ut vocant, Conſiſtorio, antequam librario traderetur, probatam fuiſſe exiſtiment: moneo atque palam edico, cenſores opuſculi hujus eoſdem fuiſſe Sycophantas, quos ſcelerum tuorum ſocios habes, illos nempe, quos *Theocrinum* & *Eurybatem* appellare mihi lubuit. Habet enim Archiepiſcoporum munificentia Juvavienſis Univerſitas libellos, quos Anteceſſores conſcribunt, non exſpectata Conſiſtorii cenſura, in lucem emittendi poteſtatem. Qua quum tam improbe abutamini, ſpes mihi eſt, exſtiturum aliquando Principem, qui facultatem hanc, quam in perniciem publicam convertitis, velut inſano gladium, e manibus ſit erepturus.

Ex atrio ad ipſas ædes greſſum facio. Occurrunt ſtatim oculis verba illa tua: „ Quotiescunque honeſtiſſimam & eruditam „ multitudinem, Archiepiſcopalem ſcilicet Univerſitatem, quæ „ mei audiendi cauſſa huc convenit, conſidero &c. “ Quænam, per Superos omnes te oro, hæc eſt erudita multitudo? Archiepiſcopalis Univerſitas, ais. Ego Academicam Juventutem opinor, quæ quanta ſapientia ſit, etſi a me ſatis jam ſit explicatum, ex Doctoribus tamen ipſis conjecturam facere licet. Quantacunque vero illa ſit, numquam perſuadebis, ut Theologicarum Controverſiarum arbitrium ad Juventutem Academicam deferatur. Vera autem cauſſa, cur hæc a te prolata ſint, illa ſane eſt, voluiſſe te adoleſcentes adverſus eos concitare, qui univerſitatis

D veſtræ

veſtræ gloriæ parum æqui eſſe credebantur. Deinde ad rem propius accedens ais: „Plane me ignorare profiteor, oporteatne „ me Orationem habere loco huic, an meo Doctoris muneri „ conſentaneam. Rebus ita conſtitutis mediam viam elegi, id- „ que dicendi argumentum ſumſi, quod tum ſacræ alloquutioni, „ tum Scholaſticæ diſputationi commune eſt, & præſertim Ma- „ rianis atque Academicis Auditoribus accommodatum.“

Ὦ γῆ τοῦ φθέγματος· ὡς ἱερὸν, καὶ σεμνὸν, καὶ τερατῶδες.

O te ſerum ſtudiorum, qui te ignorare fateris, quod Orationis genus e ſacro loco pertractandum tibi ſit! Ferri tamen id potuiſſet, ſi poſt dubitationem hanc tutiſſima & regia via eſſes ingreſſus. Verum, quibus te ſuppliciis aut probris dignum dicam, qui dubitaveris licet, num argumentum, quod pertractas, loco illi, ubi verba feciſti, eſſet accommodatum, odio tamen magis tuo, quam veritati & decoro obſecundaveris. Quod ſi te non dubitaſſe, ſed penitus ignoraſſe dicas, etſi alias nihil ignorare videri velis: docebo ergo te, quod non ampliſſimus Univerſitatis Procancellarius, ſed dupondius quilibet ſine manifeſta inſcitia ignorare non poteſt. Ajo itaque a Tridentino Concilio *Seſſ.*25. eſſe demandatum, ne in ſermonibus ad populum difficiliores quæſtiones pertractentur, aut incerta doceantur. Salisburgenſis vero Synodi ſaltem meminiſſe te oportuerat, qua *conſt.*20. *cap.*2. & 4. cavetur „ ne concionatores ſomnia ſua, conjecturas, & opiniones „ auditoribus venditent, atque ut ab obſcuris, nodoſis, & diffi- „ cilibus quæſtionibus abſtineant.“ Multo minus a te ſervata ſunt, quæ a D. Carolo Borromæo in Concilio I. Provinc. *cap. de Præd. verb. Dei*, & præcipue in Inſtructionibus Præd. verb. Dei *cap. de materia ſacræ concionis* ſaluberrime præcipiuntur: „ Ut „ concio ex doctrina conſtet Evangelica, ne ſubtiliores quæſtio- „ nes apud imperitam multitudinem attingantur; ne ſingulares „ quasdam opiniones, quamquam illæ quidem in ſcholis afferun- „ tur, ad concionem adhibeat.“ Aliaque ejuſmodi. De litteratis & eruditis tuis auditoribus ſatis jam dixi. Ceterum cogitare te velim, templum illud, quod eſt a te profanatum, ruri eſſe poſitum, & ruſticis hominibus patuiſſe, quorum complures tunc præſentes fuiſſe certiſſimo mihi conſtat. Deinde Academica Juventus jam plus ſatis Scholaſticarum tricarum quotidie ad nau-

ſeam

ſeam a vobis audit, neque ut eas percipiat, templum ingreditur, ſed ut ſolido & Evangelico cibo nutriatur. Quorſum vero ſpectat, quod his proxime ſuccedit? „ In ipſo autem, inquis, li-
„ mine profiteor, nemini me maledicere velle, verum ea tan-
„ tum libertate, eoque jure uti, quod hodie litteratus orbis ſibi
„ tribuit. “ Hic tuo te, ut Sorex, indicio prodis. Si nemini maledicere velle volebas videri, hæc penitus te omittere oportuiſſet. Tunc Oratio tua non ex compoſito & præmeditato facta multo facilius haberi potuiſſet. Nunc, quum omnes, etiam te non loquente, ultro intellecturi eſſent, te hæc omnia in Juvavienſes Eruditos deſtinare, pudore aliquo ob Evangelicum munus a te violatum ſuffuſus, verbis his ſcelus tuum, tegere tentas. Ais quidem te nemini maledicere velle, maledicis tamen;

Φησὶν γε φάσκων δ', οὐδὲν ὧν λέγει, ποιεῖ.

Teſtes auditores tuos ipſos voco, qui ſupplicatione peracta domum reduces contubernalibus ſuis egregium tuum facinus, quod in Eruditos patraveras, non ſine exſultatione narravere. Parum tamen dicti tui memor paullo poſt in quoſdam, qui a te diſſentiunt, Orationem te dirigere ais. Quid hoc eſt, niſi ſecum ipſo pugnare, & manu una panem, altera lapidem præbere? De hoc paullo poſt tecum rurſus diſceptabo, ſi prius aliqua dixero de libertate, quam litteratos homines hodie ſibi tribuere refers. Hic Virum Clariſſimum Ludovicum Antonium Muratorium, ejuſque libellum *de Ingeniorum moderatione* tacite mordes, quod ſæpe ibi monuerit, frenum aliquando ingenio laxandum, nec anguſtos nimis limites humanæ menti eſſe præſcribendos. Eos præterea non obſcure carpis, qui infando auſu Juvavii veriti non ſunt, dictatoriam in litteris Sycophantarum poteſtatem parvi facere. Æquum autem erat, ut diſcrimen inter *libertatem* & *licentiam* faceres. Libertate legibus permiſſa uti volunt Eruditi, non licentia proprio arbitratu uſurpata. Sunt ſui & humano ingenio fines poſiti, quos ultra evagari illud non eſt ferendum. Sed Concionatoris muneri arctiores adhuc limites a legibus ſunt præfiniti, quos tu hodie temere es transgreſſus. Plura longe Theologo viro, aut Erudito homini domi aut in Scholis diſſerere licet, quæ Sacrum Oratorem non decent. Id ex Tridentino, Salisburgenſi, & Mediolanenſi Conciliis primum didiciſti. Mox *Mariæ honorem*

& *pro ximi ſalutem* prætendis, quibus ad dicendum permotus fueris. Credat Judæus apella. Quæ paullo poſt ſequuntur, falſo id a te dictum oſtendunt. His enim: „ Attamen, quum quidam „ exiſtant, qui etſi ipſimet Mariam ceteroſque Sanctos ſedulo ve- „ nerentur & implorent, ambigere ſe tamen ajunt, ſitne id no- „ bis lege aliqua mandatum &c. " his verbis notationem *A* adjungis, & planius explicas in quos concio tua directa ſit. Refers ibi Ludovicum Muratorium negare, „ legem exiſtere de Maria „ invocanda, cui ob partam ſibi apud multos exiſtimationem a- „ lii quoque acceſſerint. Te itaque, quum perecepiſſes, doctri- „ na illa temere in vulgus ſparſa quosdam offendi, laborem rei „ hujus accuratius diſquirendæ detrectare noluiſſe, atque fas ti- „ bi eſſe arbitratum, ut eadem libertate, qua Muratorius uſus „ eſt, quod ſentis tam e ſuperiore loco, quam publicis typis ad „ multorum petitionem palam faceres. " Sanus non eſt, qui non intelligat, inter innumeros Catholicos Scriptores non ſine cauſſa unum te Muratorium ex illis, qui legem hanc exſtare negant, impugnandum ſuſcepiſſe, non tam ut ipſi incommodares, quam aliis quibusdam, qui ejus ſcripta ad ſcholarum barbariem deponendam utilia commendaverant. Hac re, non Mariæ honore, tu aliique, quos Muratorii doctrina offenſos fuiſſe ais, & a quibus te rogatum, affirmas, permoti eſtis, ut bellum uni Muratorio indiceretis. Hanc concionandi rationem aperte damnat S. Carolus Borromeus *cit. Inſtruct.* ubi ait: „ Ne Concionator „ quemquam nominatim inſectetur, vel ita verbis depingat, „ ut de quo loquatur, facile poſſit auditor animadvertere. " Quis vero niſi Hyſea cæcior non animadvertat, culpare hic te velle Eruditos homines, qui Muratorii libros a plurimis legi curabant? Neque tamen ullis idoneis argumentis oſtendere poteris, fuiſſe ab eis doctrinam hanc de non exſtante Mariæ invocandæ lege, ante habitam concionem tuam, in vulgus ſparſam. Proſtant ubique obviæ *Sacræ* Muratorii *Exercitationes* in vernaculum Germanorum Sermonem converſæ, ut niſi per calumniam id Eruditis Juvavienſibus tribuere poſſis. Videre autem eſt imprudentiam tuam, qui quum paullo ante dixiſſes, te coram litteratis & doctis auditoribus verba facere, concionem poſtea plebi quoque legendam typis deſcribi curaveris, ſcilicet ut populum,

lum, plus juſto vobis addictum, adverſus homines illos, qui Sycophantarum mancipia non ſunt, animares. Sane, quam perniciolum conſilium tuum fuerit, eventus docuit. Etenim poſt habitam concionem hanc, eamque in vulgus emiſſam univerſus populus, exiſtimans dogma aliquod Religionis noſtræ certiſſimum in ea contineri, illico quotquot a te diſſidebant, hæreticorum numero habuit. Qua in re plurimorum ſtultitiam, qui concionem tuam legerunt, ſatis admirari non poſſum. Niſi enim malevolentia atque odio a vobis in Eruditos conflato obcœcati fuiſſent, neceſſe utique erat, ut ad illa verba tua animum adverterent, eos nimirum, quos tu inſectaris, etſi legem hanc exſtare negent, Sanctos tamen & Mariam venerari atque ſedulo invocare. Hæc ſola confeſſio tua ſatis eſſe poſſet inanibus rumoribus illis, qui per totam Germaniam a vobis ſparſi ſunt, diſſipandis. Verum imperita multitudo, Sycophantarnm clamoribus & ſeditioſis vocibus concitata, parum ad hæc verba attendit, ſed quotquot concioni adverſabantur, eos pro Mariæ & Sanctorum hoſtibus habuit. Cujus rei culpa tota in te cadit, qui publici juris facta concione motibus hiſce anſam præbuiſti. Ad hæc Sycophantæ alii, arcta tecum amicitia conjuncti, quotquot concionem non probabant, tamquam hæreticos viva voce, miſſiſque per Germaniam litteris, & famoſis libellis Juvavii affixis, inſimularunt.

Vidimus jam ex ipſa ædificii tui facie, quid monſtri intus alas. Nunc ipſum illud contemplemur. Perfricta igitur fronte ais: „ Contendo, eum, qui præ ceteris Mariam, Servatoris noſtri „ Matrem ſacroſanctam venerari & implorare omitteret, ea „ ipſa de cauſſa criminis reum futurum, & æternæ ſalutis mini„ me participem, quam opinionem meam paucis demonſtrare conſtitui." Hoc eſt totius concionis argumentum ſatis claris verbis propoſitum, ut nullus ſubterfugio locus patere poſſit. Tota enim circa hoc ſolum verſatur, ut revera invocationem Mariæ & Sanctorum jure naturali, divino, & Eccleſiaſtico præceptam eſſe oſtendat, quod clarius, ubi ſingula concionis capita diſcutiemus, apparebit. Quare fruſtra es, ſi de *neceſſitate* tantum, ut ajunt, *morali* egiſſe te contendas. Refellitur id ex ipſo concionis tenore, quo ubique triplex præceptum inculcatur. Nec proderit tibi hæc adjeciſſe: „ Quod ſiquis argumenta, quæ in me-

„ dium

„ dium allaturus ſum, præter exſpectationem minime neceſſa-
„ ria & apodictica reputaret (quod quidem non cauſſæ & melio-
„ rum argumentorum inopiæ, ſed mihi ſoli, viriumque mea-
„ rum imbecillitati tribui velim,) illud ſaltem inde conſequere-
„ tur, eum hominem magno in diſcrimine eſſe conſtitutum, ea-
„ que ratione, quum tutior pars ſemper ſit eligenda, non mi-
„ nor haurietur, Deo dante, ex hac Oratione mea, quam ex
„ aliis ſacris alloquutionibus utilitas." Primum enim his verbis innuis, te minime dubitare, ſententiam, quam tueris, eſſe certiſſimam. Deinde tota concio de triplici præcepto non de hac poſteriore clauſula agit. Scopus itaque Auctoris eſt conſiderandus, & juxta illum de tota concione judicium ferendum.

CAPUT VI.

Diſquiritur de Concilii Trid. Decreto ſeſs. XXV. Phrynondas novatorem ſe eſſe fatetur. Tacet de lege Tridentinum. Theologi leges ferendi poteſtatem non habent. Veri Theologi munus ex Baſilio, Nazianzeno & Vallenburchiis deſcribitur. Phrynondæ inſcitia in eruenda Tridentini mente. Proteſtantium dicta de lege hac. Vim rurſus facit Tridentino Phrynondas. Paulli V. Formula ei non favet. Vallenburchiorum de illa ſenſus. Voces hæ venerandos, invocandos, impertiendam, *legem & neceſſitatem non indicant. Quis Latinæ Linguæ genius ea in re ſit. Quædam de Grammatices ſtudio. Phrynondæ argumentum ex Can. 7. ſeſs. 13. Conc. Trid. ſumtum exploditur. Phrynondas acerbiores ex Proteſtantibus ſententiæ ſuæ ſocios habet. De abuſu Dialectices atque Ariſtotelicæ Philoſophiæ circa religionem Baſilii & Nazianzeni loca.*

ITA explicata animi tui ſententia, gradum facis ad eam argumentis ſtabiliendam. Fateris ipſe in notatione A „ com-
„ plures, qui de Religionis controverſiis ſcripſerunt, ex recita-
„ to a te Tridentini Concilii Decreto contendere, nullum ex-
„ ſtare de Sanctis invocandis mandatum, ſed eam tantum invo-
„ cationem bonam & utilem eſſe. Verum quum animadverte-
„ ris,

„ ris, eos tantum ſollicitos fuiſſe, ut hæreticorum in nos male-
„ dictis, qui idololatriæ nos accuſant, adimuntque Sanctis vim
„ omnem nobis auxiliandi, obviam irent, etſi hujus rei examen
„ non inſtituerint &c. “ Novatorem ergo te eſſe non diffiteris; plerique enim, ut ex teſtimoniorum Sylloge perſpicies, ſententiæ tuæ adverſantur. Itaque hic adverſus omnes fere Catholicos pugnaturus,

Νῦν δὴ δεῖ σε πυκνὰν φρένα ϗ
Φιλόσοφον ἐγείρειν φροντίδα.

Nec minore, quam par erat, audacia, catholicos omnes Scriptores in Cimmeriis tenebris verſatos fuiſſe pronuncias. Omnes enim, ſi pauciſſimos tui ſimiles excipias, verba illa Tridentinæ Synodi, *bonum atque utile eſſe ſuppliciter Sanctos in cælo regnantes invocare*, ita acceperunt, ut invocationem hanc commendari, non juberi putarent. Tu vero Dialecticæ tuæ fidens, totum & formidandum hoc agmen craſſi nec tolerandi erroris in arguendi arte expoſtulare audes. Ego ſane credibile eſſe non cenſeo, ut tu ſolus inter tot homines acutum videas. Etenim, quale eſſet præceptum, ſi neque in Scripturis, neque in Conciliis, neque in Decretis Pontificum aut Patrum & recentiorum Theologorum ſcriptis ejus veſtigium deprehendi poſſet? Hic tibi illud Sophoclis *Electra* jure merito occinere poſſem:

Ποίῳ νόμῳ;
Ὅρα τιθεὶς τόνδε τὸν νόμον βροτοῖς
Μὴ πῆμα σαυτῷ ϗ μεταγνοίαν τιθῇς.

Qui vetitum aut mandatum aliquid legibus eſſe ait, legem demonſtrare debet, quæ id præcipiat aut prohibeat. Ni faciat, cauſſa excidit. Turpe eſt Jureconſultum, qualem te haberi vis, ſine lege loqui. Præcepta non ex arbitrio noſtro ſunt confingenda, aut in immenſum numerum producenda, ſed aut Scripturæ, aut Traditionis, aut Conciliorum, aut Pontificum de iis decreta in medium afferenda. Tacet de præcepto Tridentinum Concilium; & nos tacere par eſt, ne nova onera, ut olim Phariſæi a Chriſto reprehenſi *Matth. cap.* V. fidelibus imponantur. Itaque, etſi machinas omnes Sophiſtices tuæ adhibeas,

„ Etſi Carneadem ipſum ad nos Orcu' remittat, “
nunquam efficies, niſi hæc præſtiteris, ut legem hac de re eſſe

evin-

evincas. Verum pergis: „ Solent Romani Pontifices aut Concilia pro temporum opportunitate rei cujusdam partem aliquam „ definire, atque ut inter Religionis capita reputetur, mandare, neque tamen partem reliquam, quæ prætermiſſa eſt, ullo „ modo damnant aut rejiciunt, ſed virorum in Theologia exercitatorum ulteriori examini permittunt. “ His verbis tibi atque tui ſimilibus legiſlatoriam poteſtatem tribuis, & præceptum, quod a Concilio non eſt impoſitum, Theologis fas eſſe imponere vis. Verum erat optandum, ut diligentius, quodnam genuinum ſit veri Theologi munus, perpendiſſes. Si Theologis arbitrium hoc permittas, videbis repente optimos, doctos, & pios viros e ſinceris Catholicis hæreticos factos, atque Eccleſiam univerſam inopinatis hæreſibus repleri. Unusquiſque enim ſibi adverſantes erroris damnabit. Contra, melioris notæ Theologi, tam veteres quam novi, ultro faſſi ſunt, decere ſacrarum litterarum Doctorem a novis opinionibus abſtinere. Sic Baſilius *lib.* I. *adverſus Eunomium* nullas in Eccleſia controverſias exorituras fuiſſe ait, ſi homines ſimplici veritate, quæ in Scripturis continetur, contenti fuiſſent. Hinc veritati nihil addendum eſſe ait. Etenim ὁ ἐχθρὸς τῆς ἀληθείας διάβολος προσθήκαις ἀεὶ τὸ κακὸν πλεονάζειν. *Inimicus veritatis Diabolus additionibus ſemper mala multiplicat.* Ita & Gregorius Nazianzenus *Orat.* 26. ſuorum temporum Theologos inſectatur, qui opiniones ſuas toti Eccleſiæ veluti divinam Scripturam obtrudere volebant: Οὐδὲν ἂν, φησὶ, ἦν τῆς πίστεως ἡμῶν, ἀδελφοὶ, ἀδικώτερον, εἴ γε εἰς τοὺς σοφοὺς ἔπιπτε μόνον, καὶ τοὺς περιττοὺς ἐν λόγῳ, καὶ ταῖς λογικαῖς ἀποδείξεσι. *Nihil*, inquit, *fide noſtra, fratres, iniquius fingi poteſt, ſi in doctos tantum, dicendique facultate ac logicis demonſtrationibus excellentes caderet.* Si Theologi legiſlatores noſtri eſſent, vincendi & ſupra alios excellendi cupidine miras in Eccleſia, alio alium condemnante, diſcordias excitarent. Bonus autem Theologus, quod Eccleſia non damnavit, nec ipſe damnare debet. Videndus Nazianzenus tota illa Oratione, quæ eximia ad Theologorum audaciam moderandam præcepta continet. Atque heic inter recentiores Theologos conſulere juvat Hadrianum & Petrum de Walenburch, eorum, qui de Controverſiis ſcripſerunt, facile principes. Hi *tom. I. tract. de unitate Eccl. lib.* 7. *cap.* 3. *& pluribus*

ribus ſequentibus ſaluberrimas leges Theologis præſcribunt, quibus in diſputationibus utantur. Inter cetera *cap.*4. *num.*3. ajunt: „ Sunt in Catholicis, qui non ſatis diſtinguentes dogmata vere „ Catholica & univerſaliter credenda a placitis ſcholarum, ſalva „ unitate Catholica controverſis, terminos moderationis prætergrediuntur. Et hoc ipſo aliquatenus lædunt caritatem amicis „ debitam, quod hoc in Proteſtantibus impugnant, tamquam „ omnino rejiciendum, quod Doctores Catholici in Eccleſia Catholica publice docent. Quid hoc eſt, niſi fratres ſuos in Schiſmaticis traducere, & utrorumque ſententiam, privata auctoritate, contra jura Eccleſiæ condemnare? Quid hoc eſt, niſi „ temerario auſu jus univerſalis Eccleſiæ invadere?“ Et *cap.*10. ex Dominico Gravina: „ Periculoſa ſane res eſt, periculoſa pro „ certis aſſerere, religionis dogmata proprio judicio fingere, quæ „ non ſunt.“ Verum tu, pro tua ſapientia, atque ea, quam te habere exiſtimas, leges ferendi poteſtate, conaris ipſa Concilii verba in partium tuarum favorem detorquere. Tentas vero id efficere multiplici ratione. Primum ais, ideo Concilium edixiſſe, bonam atque utilem eſſe Sanctorum invocationem, quod Lutherus ejusque aſſeclæ *malam* & *inutilem* pronunciaſſent. Ea ratione, pro more, quem perpetuo ſervarunt Tridentini Patres, oppoſitam fuiſſe Proteſtantibus genuinam Eccleſiæ doctrinam verbis ex adverſo pugnantibus, *bonum* ſcilicet ac *utile* eſſe Sanctos invocare. Accipio libenter methodum hanc a te propoſitam, ſolitum nimirum fuiſſe Concilium Lutherianorum erroribus vera dogmata e regione opponere. Quid ſi ergo probavero, Lutherianos, non ſolum docuiſſe *malum* & *inutile* eſſe invocare Sanctos, verum etiam nusquam præceptum? Nonne oportuiſſet, Concilium etiam definire, invocationem eſſe a natura, Deo, vel Eccleſia præceptam, ſi pars hæc Lutherianorum doctrinæ a Tridentinis Patribus non fuiſſet probata? Nihil vero facilius eſt, quam demonſtrare, Lutherum, & qui ei ſucceſſerunt, docuiſſe ſemper, nullum exſtare de Sanctis invocandis mandatum. Sane Serkendorffius *lib.* 2. *Hiſt. Luth.* §. 25. *num.* 23. de hoc negotio agens ait: *Deeſt, quod tantopere urget Lutherus, mandatum Dei.* Idem *lib.* 3. §. 119. *num.* 22. poſtremam Lutheri deliberationem referens de Reformationis formula ex Decreto

E Spi-

Spirenſi anno 1544. conſcripta, hæc inde excerpit: „ In Eccle- „ ſia ſeu in populo Dei nulla invocatio docenda, inſtituenda, aut „ ſtabilienda eſt, quæ in Verbo Dei nec *præceptum ullum*, nec „ exemplum habet. Manifeſtum eſt autem in ſcriptis Propheticis „ & Apoſtolicis prorſus *nullum præceptum* aut exemplum hujus „ invocationis exſtare.“ Hoc ipſum probatur ex Concilio Melanchthonis *de Concordia* in Galliam miſſo; ex Articulis Smalcaldicis; atque ex Carlevitii *nova mediorum propoſitione*, ut apud eumdem Seckendorffium videre eſt *lib.* 3. §. 38. *num.* 9. & §. 56. *n.* 3. atque ex §. 71. *addit.* 1. *lit. N.* Quin & apud eumdem legi poteſt Catholici Doctoris Joannis Cochlæi Conſilium, ubi *art.* 21. refert, unice invocationem hanc detrectaſſe Lutherianos, quod a Scriptura præcepta non eſſet. Ita & Martinus Chemnitius *Exam. Concil. Trident. part. 3. de invocat. & interceſſ. Sanct.* „ nullum „ exſtare ait mandatum, quod præcipiat invocare Sanctos, qui „ ex hac vita diſceſſerunt “ id quod poſtea latius demonſtrat. Ex Calvinianis ſufficiat verba Heideggeri referre *Tumul. Concil. Trident. ad ſeſſ. 25. quæſt. 2. pag. 749. argum.* 1. „ Sanctorum, „ inquit, cum Chriſto regnantium invocatio *nec mandatum*, nec „ promiſſionem, nec exempla juſta & probata ſcripturarum ha- „ bet. Quin ipſa Synodus non præceptum divinum cauſſatur, „ ſed nude dicit, Sanctos pie & utiliter invocari.“ Ergo, ſi Concilium pro damnando errore habuiſſet hoc Proteſtantium effatum, nullum exſtare de Sanctis invocandis præceptum, oppoſuiſſet utique, juxta regulam a te ſtatutam, definitionem quamdam ei conceptis verbis adverſantem. Quod, quum Synodus non fecerit, palam eſt, non voluiſſe eam præceptum ullum hac de re agnoſcere, aut fidelibus imponere.

Videris tibi rurſus Concilii mentem deprehendiſſe verbis illis, quibus Sancti *una cum Chriſto regnantes* dicuntur. Hinc efficere vis, ſignificare Concilium, quod oporteat eos a nobis invocari, eo quod cum Chriſto in Cælis regnum obtineant. Acuta ſane, & ſcholarum ingenium redolens arguendi ratio. Non ita deſipiebant Tridentini Patres, ut fideles exiſtimare vellent, cælorum regnum inter Deum & homines eſſe diviſum, aut ibi piorum animas ipſi Chriſto, quod poteſtatem attinet, eſſe exæquatas. Ex Eccleſiæ vero uſu Chriſtianis omnibus conſtat, eo ſenſu Sanctos

dici

Digitized by Google

dici in cælis cum Chriſto regnare, quod Dei miſeratione cæleſtis æternæque gloriæ participes facti ſint, non vero, quod ſupremam ſuam regiamque poteſtatem illis communicaverit.

Aliud argumentum ſumis ex Catholicæ fidei formula a Paulo V. Pont. Max. propoſita, ubi dicitur, *Sanctos una cum Chriſto regnantes venerandos & invocandos eſſe.* Hoc tu Germanice ita reddis, quaſi hæc invocationem tamquam neceſſariam omnino jubeant. Nos potiorem fidem doctiſſimis Theologis adhibemus, qui pro religione noſtra toto vitæ ſuæ decurſu pugnarunt, quibus ſi te conferas, hoc nomine te indignum eſſe deprehendes. Ex horum numero Walenburchios fratres rurſus adducimus, qui *tom.* I. *pag.* 445. caput hoc Profeſſionis fidei commentario illuſtrantes, nihil aliud inde ducunt, niſi vetitum non eſſe Sanctos invocare. *Credimus*, inquiunt, *cum Sacra Scriptura & Antiquitate Sanctis cum Chriſto regnantibus licite venerationem tribui.* Quod ſane longe aliud eſt, quam mandatum ex hoc loco conficere. Rurſus rabulæ hujus ferax ingenium ex eadem Profeſſione novum eruit argumentum, quod Sanctorum Reliquiis & Imaginibus *honorem ac venerationem impertiendam eſſe* eadem dicat, id quod denuo ita reddit, quaſi legem hac de re ibi ferre, & neceſſitatem ſtatuere videatur. Deinde, ut eſt ſollers & perſpicax, ſi lex, ait, de exſanguibus oſſibus & inanimis Imaginibus venerandis exſtat; quanto magis *exſtabit neceſſitas Sanctos ipſos una cum Chriſto nobis dominantes venerandi?* Ordine ut procedam, & veſtigiis tuis inſiſtam, primum ajo, Walenburchios adeo perſpicaces non fuiſſe, ut ex Profeſſionis verbis a te recitatis præceptum nobis excuderent, ſed ut *licitas* tantum Sanctorum Imagines, atque *licite* honorem eis deferri Profeſſionem hanc docere exiſtimarent *loco cit. pag.* 446. Ludit hic noſter circa voces *venerandos, invocandos, impertiendam*, neque Theologica, Juridica, & Academica gravitate, qua totus turget, indignum putat ex tanto apice ad Priſciani ineptias deſcendere, & puerorum regulas de primis latinæ linguæ elementis ad dogmata definienda transferre. Inuſitato plane ſodalibus ſuis more, eos, qui humaniores litteras excolunt, & a Scholarum ſordibus abhorrent, invidioſo *Grammaticorum* nomine traducentium. Verum ad expugnandos audaces illos homines, qui Sycophantarum regnum non ferunt,

arma undecumque demum erant arripienda. Muſas autem omnes iratas quum habeas, mirum non eſt, te Latinæ linguæ poteſtatem & aureorum Scriptorum conſuetudinem ignoraſſe. Non multis te urgebo exemplis, ne Grammaticum me eſſe credas. Unicum, illudque huic loco valde appoſitum proferam ex Venuſino Poeta *lib.* 1. *Carm. Od.* 37. Devictus fuerat ab Auguſto apud Actium Antonius, atque ita tot bellis civilibus finis impoſitus. Invitat itaque Horatius Sodales ſuos, ut in communi lætitia genio indulgeant:

„ Nunc eſt *bibendum*, nunc pede libero
„ Pulſanda tellus: nunc Saliaribus
„ Ornare pulvinar Deorum
„ Tempus erat dapibus, Sodales.
„ Antehac nefas depromere Cæcubum
„ Cellis avitis, dum Capitolio
„ Regina dementes ruinas,
„ Funus & imperio parabat.“

Hæc reddo ego *παραφραστικῶς* hunc fere in modum: „ Nunc *decet* „ nos bibere, & choreas ducere; nunc tempus eſt lectisternium „ habere. Antehac, imminente Cleopatræ & Antonii bello, „ non decebat in Reipublicæ calamitate compotationibus indulgere.“ Ne vero vim me facere Horatii verbis exiſtimes, geminum huic locum tibi dabo *eod. lib. Od.* 4. ubi veris adventum deſcribens L. Sextium ad animum exhilarandum ita hortatur:

„ Nunc *decet* aut viridi caput impedire myrto,
„ Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ:
„ Nunc & in umbroſis Fauno *decet* immolare lucis,
„ Seu poſcat agnam, ſive malit hœdum.“

Par utrobique argumentum eſt, par & ſententia ſit oportet. Hic enim eſt Latinæ linguæ genius, a quo Sycophantæ noſtri Soi diſſentient, qui non *decere* tantum, ſed & *omnino oportere & neceſſe eſſe*, etiam in ipſis reipublicæ calamitatibus, vino ſe ingurgitare exiſtimabunt. Celebriores certe Grammatici, vobis ne nomine quidem noti, voces illas, quæ in *dus* deſinunt (parcant mihi æqui lectores, ſi puerilia hæc tractare & quaſi repueraſcere a Sycophantis invitus cogor) illas, inquam, non ſemper id quod *neceſſe* eſt, ſed & id quod *decet*. ſignificare docent. Vid. Voſſius

ſius *de arte Grammat. lib. 6. cap. 11.* & Lancellotus *Meth. L. L. tom. 2. cap. 1. de gerund. n. 2.* Atque hic opportunus mihi locus eſſe videtur, quædam de Grammatices ſtudio monere, quum intelligam, Eruditos homines invidioſa Grammaticorum appellatione traduci. Turpe non eſt Grammaticam noſſe, ſed nihil præter eam noſſe. Hanc diligenter quidem diſcendam cenſet Quinctilianus *lib. 1. Inſtit. cap. 7.*, ſed ei non immorandum. Laus, fateor, magna non eſt, eſſe Grammaticum; ſed nec probro vacat, artem hanc ignorare. Fere ut Tullius *lib. 3. de Oratore cap. 14.* emendate & latine loqui glorioſum non eſſe ait, ſed & ridendum putat inquinato ſermone uti. Diſcenda itaque Grammatice, atque fatendum, ejus uſum latiſſime porrigi, ſi quis præcipue veteres Scriptores tum ſacros tum profanos haud ſegniter percurrere, & antiquitates ſcrutari velit. Hoc ſibi præſidium, quotquot in litteris excelluerunt, comparaſſe, eorum ſcripta demonſtrant. Neque ullus umquam, niſi e media barbaria extitit, qui pudendum putaverit arti huic ſobriam operam navaſſe. Vos Grammaticen, ut meliores litteras omnes, quas ignoratis, alto ſupercilio contemnitis.

Nunc ad Walenburchios redeo, qui tamen violatæ Grammatices ſocios Catholicos alios habent, quos in teſtimoniorum ſylloge invenies. Reſtat modo, ut quanti roboris ſit acutum illud tuum ab imaginibus & Reliquiis ſumtum argumentum diſpiciam. Sentis jam nullam de iis colendis ex Catholicorum Sententia eſſe legem. Quare & ipſe *cultus* tantum neceſſitatem inde conficis, nec de *invocatione* mentionem ullam facis, quaſi utrumque promiſcuum tibi eſſet, aut æquo jure a te cenſeretur. Miſeret me hominis tanto natu tam gravia peccantis. Sapere oportet homines, qui ſunt capite candido. Immenſum interpoſitum eſt diſcrimen inter Sanctorum cultum, eorumque invocationem. Sanctorum Reliquias & imagines licet nobis venerari; Sanctos ipſos, non a Deo, ſed ab Eccleſia, poſt dies eiſdem Sacros inſtitutos, colere jubemur; eos vero neque a Deo, neque ab Eccleſia invocare cogimur.

Ἐπεὶ δίδαξον, ἢ μάθ' ἐξ ἐμοῦ.

Hoc, inquam, ex me diſce, atque ex Muratorio ipſo, aliisque Catholicis Scriptoribus a me in Sylloge recenſitis. Idem judicium eſto

eſto de alio tuo argumento ex verbis Concilii ſumto, quibus eos condemnat, qui venerationem atque honorem Sanctorum reliquiis *non deberi putant*. Mirus vero eſt Theologus noſter, dum tamquam in omni Theologia hoſpes, atque veteris & novæ Eccleſiæ diſciplinæ ignarus, ridiculum plane argumentum ſumit ex *Can. 7. Seſſ.* 13. ejuſdem Concilii. Damnantur ibi, qui ſentiunt, non licere, ut Sacrum Viaticum ad infirmos honorifice deferatur. Quis vero, inquit Dialecticus noſter, inde elicere queat, Concilium exiſtimaſſe, licitum id tantum eſſe, non præceptum? Quaſi extra omnem penitus controverſiæ aleam poſitum eſſet, exſtare divinum aut Eccleſiæ mandatum, ut Sacramentum honorifice & cum pompa ad infirmos deferatur. Olim pompam hanc penitus fuiſſe ignotam antiquitas omnis clamat. Hodie pleriſque in locis, & merito id quidem, receptum. Nemo tamen unus præter noſtrum eſt inventus, qui ſomniaverit, honorem hunc eſſe omnino lege mandatum, neque pompam hanc ſine piaculo, & ſine legum violatione prætermitti poſſe. Non recte hic vidit acutus Diſputator noſter, arma e domo ſua nobis tradens, quæ in ipſum vertamus. Pronum enim eſt ita arguere: „ Quemadmodum ex cenſura a Concilio in eos lata, qui Viaticum honorifice ad infirmos deferri poſſe negant, non exculpitur tamen ullum hac de re præceptum: ita & ex condemnatione eorum, qui negant Sanctos eſſe invocandos, & venerationem reliquiis impertiendam, nullum eruitur præceptum, quo horum invocatio aut illarum veneratio fidelibus legis inſtar imponatur.“ Quæ poſterior arguendi ratio ſaniori utique Dialecticæ eſt conformior, & depontanum Thomiſtam noſtrum ſuæ in argumentis rite conformandis imperitiæ palam redarguit. Poſtremo, præter Catholicorum teſtimonia, qui nemine fere excepto interpretationi tuæ adverſantur, eſt & aliud incommodum, quod ex tua ſententia conſequitur. Romanæ etenim Eccleſiæ hoſtes, qui paullo acerbiores ſunt, ſolent illa Concilii verba, *Sanctos eſſe invocandos, Sanctorum Imaginibus venerationem deberi*, eadem, qua tu ratione, ad invidiam catholicis conciliandam explicare: oportere ſcilicet neceſſario, atque omnino eſſe præceptum, ut illos invocemus, has veneremur. Unde viam ſibi aperiri credunt ad idololatriam nobis imputandam. Inter ceteros memorandus

randus

randus eſt Petrus Franciſcus le Courayer, qui novam Pauli Sarpii editionem nobis adornavit. Hic de Concilii Tridentini ſeſs. XXV. agens, atque decreto hoc de Sanctorum invocatione, videtur ſibi quamdam in Concilii verbis repugnantiam adinveniſſe. Verbis enim illis *utile* ac *bonum*, fideles a præcepto abſolvi ait. Contra poſterioribus aliis, *Sanctos invocandos eſſe*, neceſſitatem & præceptum imponi. *Vid. Hiſt. Conc. Trident. tom.* 2. *pag.* 728. *not.* 30. & 31. His affinia ſunt illa Gerardi Joannis Voſſii *Op. tom.6. diſp.* 8. *de invoc. Sanct. theſ.* 3. „ Hujusmodi invo„ cationis *neceſſitatem*, inquit Voſſius, quamquam vulgo ma„ xime perſuaſum Pontificii optent, *aperte tamen defendere ho„ die vix audent*. Plurima interim apud eos invenias, quæ ab „ hac ſententia non abhorreant. Uti, quum Concilium ipſum „ Tridentinum decernit, impie illos ſentire, qui negant San„ ctos *invocandos* eſſe. " En quos faventes ſibi habeat magnus Catholicæ Eccleſiæ defenſor noſter, cui & alios paſſim e Lutherianis, nos calumniantibus, favere teſtatur Scriptor quidam inter Germanicos poſtremo loco a me in Sylloge relatus. Ita convenit tibi magis cum Romanæ Eccleſiæ hoſtibus, quam cum propugnatoribus. Catholici enim Lutherianis præceptum hoc abjicientibus, & verba Concilii de præcepto interpretantibus, fortiter ſe opponunt, atque pernegant, niſi per ſummam impudentiam poſſe id Concilio affingi, contenduntque ab ea ſententia Eccleſiam longe eſſe remotam. Illorum Societate, & opinionis ſimilitudine plaudat ſibi quantum volet Clariſſimus Procancellarius; tantam ei felicitatem non invidemus. Noverit tamen ipſos Proteſtantes ſolere aliquando æquiores ſe præbere, & liberalius nobiscum quam ipſe agere. Hugo ſane Grotius *tom.* 4. *Op. Theol. pag.* 485. „ Martyrum animæ, ait, cum Chriſto re„ gnant. Regnantibus debetur ſui generis honos. Rogare au„ tem Deum, ut eorum preces pro Eccleſia exaudiat, quid ha„ bet Deo contrarium? - - - - Et tamen ad hæc quoque San„ ctorum ſuffragia imploranda nemo a Papa compellitur." Idem *epiſt.* 582. inter *Præſtant. Vir. Epiſt.* a Limborchio collectas edit. an. 1704. „ Catholica Eccleſia, inquit, nemini *præſcribit*, „ ut precetur pro mortuis, aut *opem precum Sanctorum* vita hac „ defunctorum *imploret*. Solummodo requirit, ne quis morem

„ ad-

„ adeo antiquum & generalem condemnet.“ Conſentientem ſibi habet eum, quem ſupra nominavimus, Heideggerum *pag.* 784. Ait hic: „ Clare jubentur Epiſcopi docere fideles, bonum „ atque utile eſſe Sanctos ſuppliciter invocare, ad eorum ora„ tiones, opem, auxilium confugere. Sed *neceſſarium id eſſe*, „ & ſine damnationis periculo omitti non poſſe, *definire auſa Sy*„ *nodus non eſt*.“ Quam turpe eſt Catholico viro in genuino Concilii Tridentini ſenſu aſſequendo non tantum a ceteris Catholicis, ſed & a celebrioribus Proteſtantibus ſuperari, atque aut acerbiores tantum ex illis, aut Romanæ Eccleſiæ mores ignorantes ſententiæ ſuæ ſocios & patronos habere. Hic eſt, quem tantus Theologus ex ſophiſtica ſua Dialectice hauſit, fructus. Tam ſublimibus ingeniis Eccleſia non eget. Diu eſt, quod Chriſtiani Patres de malis, quæ Eccleſiæ ex Dialecticis concertationibus provenerunt, conqueſti ſunt. Itaque de argutatore noſtro idem quod Baſilius de Eunomio *lib.* 1. *adverſus eumdem* pronunciari poteſt: *Ταῦτα δὲ ὅτι ἐκ τῆς τοῦ κόσμου σοφίας περιλαλεῖ, ὑφ' ἧς ἐκτραχηλισθεὶς, ταῖς τοιαύταις τῶν λόγων ἐπέθετο καινοτομίαις, οὐ χαλεπὸν ἐπιδεῖξαι. Ἀριστοτέλους γάρ εἰσιν.* „ Quod autem iſta e mundi „ hujus ſapientia loquatur, a qua præceps actus hanc ſermonis „ novitatem ingreſſus eſt, non eſt arduum demonſtrare. Ariſto„ telis enim ſunt.“ Chriſtianus, ait Nazianzenus *cit. Orat.* 26. *οὐκ οἶδε λόγων στροφὰς, ῥήσεις τε σοφῶν, καὶ αἰνίγματα, καὶ τὰς Πύῤῥωνος ἐνστάσεις, ἢ ἐφέξεις, ἢ ἀντιθέσεις, καὶ τῶν Χρυσίππου συλλογισμῶν τὰς διαλύσεις, ἢ τῶν Ἀριστοτέλους τεχνῶν τὴν κακοτεχνίαν, ἢ τῆς Πλάτωνος εὐγλωττίας τὰ γοητεύματα, οἳ κακῶς εἰς τὴν Ἐκκλησίαν ἡμῶν εἰσέβησαν, ὥσπερ Αἰγυπτιακαί τινες μάστιγες·* „ nec verborum flexus & „ captiones novit, nec Sapientum dicta & ænigmata, nec Pyr„ rhonis inſtantias, aut aſſenſus retentiones, aut appoſitiones, „ nec ſyllogiſmorum Chryſippi ſolutiones, aut pravum artium „ Ariſtotelicarum artificium, aut Platonicæ facundiæ præſtigias, „ qui velut Ægyptiacæ quædam plagæ in Eccleſiam noſtram irrepſerunt.“ Hæc multo meliore ratione dicenda hodie eſſent de barbaris noſtris Dialecticis, qui cavillationibus ſuis diſciplinas omnes peſſumdederunt, veræque Eccleſiæ ineptis ſuis difficilibusque nugis ingenti dedecori ſunt.

CA-

Caput VII.

Thomæ Aquinatis locus a Phrynonda male intellectus. Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ Platonica ſententia, atque de ea Alexandri Alenſis judicium. Huic opponuntur Chryſoſtomi, Hilarii, & Bernardi loca. Phrynondæ inſcitia in rerum naturalium ſcientia. Enorme ejusdem dictum de nimia cum Deo familiaritate cavenda. Refellitur id SS. Litterarum & D. Bernardi auctoritate. Solvitur argumentum a Miſſarum Collectis, Hymnis, & diebus Feſtis acceptum. F. Suarii de his ſententia. Fruſtra lex probatur ex Symboli Apoſtolici capite de SS. communione. Sancti pro nobis orant etiam non invocati. Bernardi dicta huc facientia. Patrum univerſorum conſenſum jactat, non probat Phrynondas. Veteres unum Mediatorem Chriſtum agnovere. Auguſtini de hoc doctrina & Lud. Thomaſſini locus. Virtualis, *quem vocat*, contemtus *exſibilatur. Auguſtini locus ſuppoſititius a Phrynonda adducitur. Euſebio Alexandrino locus alius perperam ab eodem tribuitur.*

Post fruſtra admotas machinas omnes ad vim faciendam Tridentini Concilii verbis, rationum ſuarum infirmitatis conſcius, alia præſidia undique comparare & corradere annixus eſt. Exiſtimet quis fortaſſis, Theologum eum, qui in publica ſtudiorum Univerſitate Juvavienſi Sacræ Scripturæ Profeſſor audit, ſacros Codices in auxilium ſuum advocare. Neque tamen locum alium ab eo adduci videas, quam ex *cap.* 5. *v.* 8. & *cap.* 8. *v.* 3. & 4. Apocalypſeos. Ex quibus legem hanc æque exprimas, atque aquam ex pumice. Etſi enim ponamus, in Apocalyptica illa figura Sanctos intelligi aut Angelos, qui preces noſtras excipiant, Deoque offerant: nihil tamen Joannes memorat, & orandos eſſe prius Sanctos, ut hoc munere fungantur, aut eos fidelium preces Deo non eſſe oblaturos, niſi prius & ipſi, ut id faciant, invocentur. Impium eſſet tantam acerbitatem Sanctis affingere, quos, ut poſtea demonſtrabitur, etiam non exoratos nobis favere, vix eſt dubitandum.

Scripturarum ita præſidio deſtitutus Sacræ Scripturæ Profeſſor noſter, nihil tutius ei viſum eſt, quam Thomiſta quum ſit, ad

Digitized by Google

ſacram ancoram confugere, ad auctoritatem ſcilicet Thomæ Aquinatis, quam poſt divinas litteras maximi ſe facere ſatis indicat. Huic tamen Viro, quem Eccleſia magno in honore habet, minime mihi mens eſt maledicere; ſed Phrynondæ tantum noſtri ſtuporem demonſtrare, qui ex Thomæ loco male intellecto non veretur ſub Thomæ nomine adverſus omnium Catholicorum conſenſum pugnare, & nova dogmata, quod Thomas non feciſſet, in Eccleſiam invehere. Ait itaque ex D. Thoma, cum eſſe in divinis ordinem, ut Superiorum excellentia in inferiora refundatur, veluti claritas Solis in aerem, atque ita Deum velle, ut non ſolum ſuperiores, ſed etiam inferiores Sancti implorentur, idque omnino oportere. Hoc pluribus verbis declaras, atque ex vocibus illis *Deus vult, & oportet implorare*, conficis nobis divinam legem de Sanctis invocandis. Id vero non a Thoma Aquinate primum traditum, ſed a vetuſtis Eccleſiæ Patribus uno conſenſu tam opere quam ſcriptis ad nos transmiſſum contendis. Eamdem præterea eſſe Eccleſiæ mentem, colligere te poſſe putas ex precibus tum in Miſſa, tum in Laudibus divinis a Clero perſolvi ſolitis, atque ex diebus feſtis in Sanctorum honorem inſtitutis, præcipue vero ex capite Symboli Apoſtolici *De Communione Sanctorum*. Hoc, quum ædificii totius fundamentum ſit, paullo accuratius perpendere juvat.

Principio neminem in veteri Philoſophia, & ſinceriore Theologia verſatum ignorare putamus, confictos fuiſſe a Platonicis varios quosdam veluti gradus bonorum Dæmonum & Geniorum, quorum ope homines ad Deum pervenire poſſent. Id ex Plotini, Porphyrii, Apuleji, Jamblichi, & ſiqui alii recentioris Scholæ Platonicæ ſunt, ſcriptis ut plurimum adhuc exſtantibus eſt deprehendere. Omnis autem horum doctrina eo collineabat, ut Chriſto, qui ut homo in terris verſatus fuerat, vim hominibus Patrem propitiandi auferrent, quod commodius per varios illos bonorum Dæmonum gradus, qui medii eſſe fingebantur inter Deum & homines, aſſequi ſe poſſe ſperabant. Pernicioſæ huic, & univerſam Chriſtianam Religionem ſubruenti doctrinæ acriter ſeſe præter ceteros oppoſuit Auguſtinus, qui multis docet, varios hoſce Spirituum Cæleſtium gradus minime eſſe neceſſarios ad homines Deo reconciliandos, quod ſolus Chriſtus Dei & hominum Mediator præſtare potuit. Videatur Auguſtinus *lib. 9. de Civitate Dei, cap. 16.*

Digitized by Google

cap.16. & ſequent. aliisque locis, & toto fere *lib.10.* Hæc itaque tam injurioſa ipſi Chriſto doctrina irrepſit tamen, neſcio quo pacto, in veterum aliquot Chriſtianorum ſcripta, plus juſto Platonicis faventium. Ut enim plurima de veterum nonnullorum Platoniſmo ab aliis centies memorata modo prætercam, vidimus paullo ſupra Gregorium Nazianzenum de abuſu profanæ Philoſophiæ, præſertim Platonicæ, conquerentem. Neque tamen bonos illos Viros acerbius accuſare volo; exiſtimabant ſiquidem, ſe divinas litteras cum Philoſophorum placitis poſſe componere, eoque pacto viros ſapientes ad Chriſtianam religionem facilius allicere. Ut ceteros omittam, in horum numero eſt Pſeudo ille Dionyſius, qui totus Platonicis commentis eſt refertus. Ab hoc vero Div. Thomam tum multa alia, tum locum hunc de aſcenſu ad Deum per interpoſitos cæleſtes Spiritus mutuatum eſſe, nihil eſt dubitandum, ut mox ex Alexandro Alenſi palam faciemus. Quare minus caute ab utroque id prolatum videri poſſet, niſi quis Alenſis molliorem interpretationem ſequi velit. Is *Summæ Theol. part.4. quæſt.26. memb.3. art.5.* § 2. poſt relatam Pſeudo-Dionyſii doctrinam ita ait: „ Congruentia divinarum „ Hierarchiarum eſt, quia quum divinorum chariſmatum ſit „ deſcenſus per Sanctos ad nos, congruum eſt, ut aſcenſus noſter, „ quo nos movemur, ſive reducimur ad Deum, fiat ipſis Sanctis „ quaſi mediatoribus & advocatis noſtris. Secundum enim Dionyſium poſtrema redeunt ad principium per media. Proinde „ eſt, quod ut reducamur & aſcendamus ad Deum in meritis proficiendo, eos *convenienter* oramus & *utiliter*. “ Videmus hic Alenſem docere, nihil aliud ex Dionyſii dicto poſſe erui, quam utile eſſe & conveniens ad Deum per Sanctos quaſi advocatos aſcendere. Nulla hic eſt neceſſitas, nulla divina lex, quod tu inani hac ſubtilioris Philoſophiæ ſpecie deceptus toties affirmas, ſed utilitatem tantum quam ex precibus Sanctorum percipere poſſumus, nobis indicat. „ Licet enim, ait rurſus Alenſis, Rex ſit „ *liberalior* & *miſericordior* & *favorabilior* aliquo Principe, nihilominus deferendo Majeſtati Regiæ, & propriam attendens „ indignitatem, *prudenter facit* recurrendo ad Principem, quaſi „ ad mediatorem inter illum, qui eſt maximus & minimus. Si „ autem peccator divinam attendens dignitatem & timens Ma„ jeſtatem, & propter hoc reſiliens in propriam parvitatem,

Digitized by Google

„ non accurrit, ſed ponit medium confugiendo ad Sanctos, in „ hoc *laudandus* eſt.“ Quibus verbis aperte, quid ſenſerit, indicat Alenſis, licere ſcilicet ad Deum etiam Sanctorum ope non implorata accedere, quemadmodum ad Regem ſine Principum adjumento. Prudenter tamen facere & laudandum eſse, ſi & illos imploret. Neque novum eſt, quod innuit Alenſis, licere ad Deum, veluti ad Regem ſine procerum ope confugere. Id ſæpius a veteribus animadverſum video. Sic Hilarius, ſive quicumque auctor eſt Commentarii *in Epiſt. ad Rom. cap.* 1. inter Ambroſii opera: „ Nam & ideo, inquit, ad Regem per Tribunos aut co„ mites itur, quia homo utique eſt Rex, & neſcit, quibus de„ beat rempublicam credere. Ad Deum autem, quem utique „ nihil latet (omnium enim merita novit) promerendum, ſuf„ fragatore non opus eſt, ſed mente devota.“ Eadem fuit mens Chryſoſtomo notiſſima illa Homilia *de profectu Evangelii cap.* 11. & 12. *Οὐ χρεία σοι*, inquit, *μεσιτῶν ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, οὐδὲ πολλῆς τῆς περιδρομῆς, καὶ τοῦ κολακεῦσαι ἑτέρους. ἀλλὰ κἂν ἔρημος ᾖς, κἂν ἀπροστάτευτος, αὐτὸς διὰ σαυτοῦ παρακαλέσας τὸν Θεὸν ἐπιτεύξῃ πάντως. Οὐχ οὕτω δι' ἑτέρων ὑπὲρ ἡμῶν παρακαλούμενος ἐπινεύειν εἴωθεν, ὡς δι' ἡμῶν αὐτῶν τῶν δεομένων, κἂν μυρίων ὦμεν γέμοντες κακῶν· εἰ γὰρ ἐπ' ἀνθρώπων κἂν μυρία προσκεκρουκότες ὦμεν, ὅταν καὶ ὑπὸ τὴν ἕω, καὶ μέσης ἡμέρας, καὶ ἐν ἑσπέρᾳ φαινόμεθα τοῖς πρὸς ἡμᾶς λελυπημένοις, τῇ συνεχείᾳ καταλυόμεθα ῥᾳδίως αὐτῶν τὴν ἔχθραν, πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ τοῦ Θεοῦ τοῦτο γένοιτ' ἄν...... Ταῦτ' οὖν ἅπαντα μαθόντες, κἂν ἐν ἁμαρτήμασιν ὦμεν, καὶ τοῦ λαβεῖν ἀνάξιοι, μὴ ἀπογινώσκωμεν, εἰδότες ὅτι τῇ προσεδρείᾳ τῆς ψυχῆς δυνησόμεθα γενέσθαι τῆς αἰτήσεως ἄξιοι· κἂν ἀπροστάτευτοι καὶ ἔρημοι ὦμεν, μὴ ἀπαγορεύωμεν, εἰδότες ὅτι μεγάλη προστασία τὸ αὐτὸν δι' ἑαυτοῦ προσελθεῖν τῷ Θεῷ μετὰ προθυμίας πολλῆς.* „ Non tibi, ait Chryſoſtomus, „ apud Deum patronis eſt opus, neque multa circumcurſatione, „ ut aduleris aliis; ſed etiamſi deſertus, patronoque deſtitutus „ ſis, tute Deum precatus poſtulatum aſſequeris. Non ita ſolet „ annuere aliis pro nobis orantibus, ut nobis ipſis precantibus, „ etiamſi innumeris ſimus malis onuſti. Nam, ſi homines, quos „ innumeris læſimus offenſis, cum matutino tempore, meridie, „ veſpere adimus, ipſos indignabundos conſpectus frequentia & „ aſſiduitate tandem facile placamus, multo magis id apud Deum „ contingat . . . Hæc igitur omnia quum didicerimus, etiamſi „ in peccatis ſimus, & beneficiis indigni, ne deſperemus, ſcien-

tes,

„ tes, nos ex animi aſſiduitate poſſe dignos poſtulatis evadere. „ Licet ſine patrocinio ac deſerti ſimus, ne animum deſpondea- „ mus, gnari magnum illud eſſe patrocinium, ſiquis magno cum „ ſtudio per ſe ipſum ad Deum accedat.“ Solent & alia hujuſmodi Chryſoſtomi loca proferri, veluti *præfat. enar. in Pſal.* 3. & *Homil. in Epiſt. ad Theſſ.*, quæ modo non vacat excutere. Sed quod tibi mirandum videbitur, dabo tibi ex ipſo illo Bernardo, cujus nomine novitates hujusmodi honeſtari ſolent, locum eximium, ſuperioribus illis reſpondentem. Ait itaque ille *Serm. in Nativ. Beat. Vir. de aquæductu:* „ Ad Patrem verebaris accede- „ re, ſolo auditu territus, ad folia fugiebas: Jeſum tibi dedit „ Mediatorem. Quid non apud talem Patrem talis Filius obti- „ neat? Exaudietur utique pro reverentia ſua; Pater enim diligit „ Filium. An vero trepidas & ad ipſum? Frater tuus eſt & caro „ tua, tentatus per omnia absque peccato, ut miſericors fieret. „ Hunc tibi Fratrem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo Maje- „ ſtatem vereare divinam, quod licet factus ſit homo, manſerit „ tamen Deus; Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam „ recurre.“ Libenter hunc Bernardi locum adſcripſi, quod hujus auctoritate ſoleant Sycophantæ plerumque abuti. Liquidum vero eſſe exiſtimo, dicere hic Bernardum, licere omnino ad ipſum Chriſtum accedere, antequam Mariæ opem imploraverimus. Verba Bernardi tam perſpicua ſunt, ut ſtultum ſit, de eorum genuina ſententia ambigere. Male itaque Thomiſtæ noſtro ſub ipſa primordia ſucceſſit, qui Doctoris ſui verba in pejorem partem interpretatus, quæ in Thoma probanda aut improbanda ſint, ſe ignorare oſtendit, aut alione ſenſu ſcripta fuerint inveſtigare neglexit.

Verum non Thomæ tantum mentem non eſt aſſequutus, ſed eam enarrare volens multa alia peccat, quæ emendatione indigent. Quum primum ad hæc ſcribenda animum appuli, Criticen tantum, Grammaticen, Hiſtoriam & Antiquitatis notitiam in ſubſidium mihi advocandas eſſe putavi. Sentio autem modo debere me, grandævum hunc Tyreſiam ad Phyſices & Dialectices elementa diſcenda rurſus amandare. At ſi hęc ſe ignorare fateri non velit, plura ex me hodie audiet, quam olim Clinia ex Demetrio. Nonne pudenda res eſt, ſæculo tam erudito, quo rerum naturalium ſcientia ad ſummum prope culmen pervenit, hominem in

Aca-

Academico pulvere tot annis exercitatum dicere, aſtra, atque planetas vim atque poteſtatem in corpora noſtra exercere? Id non Academiæ luce, ſed Scholarum tenebris dignum eſt. Vix enim quemquam hodie invenias, qui hoc de ſtellis aut planetis, Sole tantum & Neutoni, quam vocat, attractione exceptis, affirmare velit. Quomodo itaque comparatio illa ſibi conſtabit, quam inter ſtellas & Sanctos inſtituis, ſi illæ omni in corpora noſtra poteſtate deſtitutæ eſſe ab hodiernis Philoſophis, ea ipſa magiſtra, quam fruſtra invocas, experientia edoctis dicuntur? Sed hæc leviora ſunt, fateor. Barbaricæ Philoſophiæ quum ſis innutritus; luſciniolæ potius cantio, & Citharœdo luſus defuerit, quam tu res phyſicas attingens allium non oboleas.

Illud vero, quod in concione tua paullo poſt invenio, tam grave, atque fere dixerim, tam impium eſt, ut ſi flagitium illud rite expiare velis, annum totum in piſtrino molere te oporteat. Ais, datam nobis a Deo de Sanctis invocandis legem, ut nos ad eam, quæ decet, animi demiſſionem incitaret, atque infirmitatis noſtræ hoc pacto admoneret, ne temere nimis infinitæ ejus Majeſtati confidamus. Familiarius autem ſine ullo mediatore cum ipſa agere ne liceat, conſtitutos fuiſſe Sanctos, ut per eos preces noſtras plerumque offerri curemus, eo ferre pacto, quo ad Reges per cubiculi Magiſtros accedimus. O vocem Chriſtiano homine indignam! Pii Doctores ceteri hortantur nos, ut fiduciam omnem noſtram in Deo ponamus. Ipſe Chriſtus *Matth. cap.14. v. 31. & aliis locis*, Apoſtolis ſæpe exprobrat, quod ſatis non confiderent. Rurſus Chriſtus ait *Confide*, *Matth. cap.9. v.22.* & *Venite ad me omnes*, *Matth. cap.11. v.28.* Tu quis es, qui dicere audeas: *noli confidere*, *noli accedere?* Vidiſti quoque paullo ante, quomodo Bernardus hortetur nos, ut ad Chriſtum ipſum Fratrem noſtrum accedamus. Nunc tu ſolus es inventus, qui crimini ducas, Deo unice confidere. Audi rurſus Bernardum tuum *Serm.9. in Pſalm.90.* „Tu „ es Domine ſpes mea. Quidquid igitur agendum ſit, quidquid „ declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu „ es Domine ſpes mea. Hæc mihi omnium promiſſionum cauſſa, „ hæc tota ratio meæ expectationis . . . . Si mihi præmia pro„ mittuntur, per te obtinenda ſperabo; ſi inſurgant adverſum „ me prælia, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro „ adverſus ſpiritum concupiſcat; in te ego ſperabo . . . . Ecce

„ nu-

„ numera tribulationes; Secundum multitudinem earum conſo-
„ lationes ejus lætificabunt animam tuam, *dummodo ad alium*
„ *non convertaris*; dummodo clames ad eum, dummodo ſperes
„ in eum, nec humile aliquid vel terrenum, ſed *Altiſſimum*
„ ponas refugium tuum. Quis ſperavit in eo, & confuſus eſt?
„ Facilius eſt cælum & terram tranſire, quam verbum ejus eva-
„ cuari." Quod ais, curandum nobis eſſe, ut preces noſtræ *ple-rumque* a Sanctis Deo offerantur, eodem fere pertinet, nec ſine caſtigatione eſt dimittendum. Etſi enim in Regum aulis ea ſit conſuetudo, aliter tamen rem apud Deum geri, docet nos tum Hilarius, tum Chryſoſtomus locis illis, quos paullo ſupra memoravi. Unde ergo ſit, ſi nefas eſt familiarius cum Deo verſari, ut tot narratiunculæ de piarum mulierum familiari cum Deo conſortio a vobis paſſim referantur, quas ſiquis falſitatis inſimulet, continuo eum impiorum numero accenſetis? Itaque ſi Majeſtatem Divinam non dedecet cum mulierculis confabulari; multo minus ea erit indignum, pati, ut juxta Scripturarum monita ad Deum ipſum accedere, atque ei per Chriſtum preces noſtras offerre poſſimus.

Nunc quanti ponderis ſit argumentum a Miſſarum Collectis, Hymnis, diebusque feſtis ſumtum videamus. Inde certe argumentum ducis, ut oſtendas, Eccleſiam præcipere nobis, ut Sanctos invocemus. Olim in templis jungebat populus vocem ſuam Clero divina Myſteria peragenti. Vetuſtiſſimæ vero Collectæ; veluti quæ in honorem SS. Petri & Pauli, Joannis Baptiſtæ, Stephani, Laurentii, Agathæ, Cæciliæ, & aliorum decantabantur, nullam invocationem continebant, ſed Deus tantum orabatur, ut nos Sanctorum pia exempla ſectari efficeret. Poſtea invocatio aliquando addita, ſed & procedente tempore factum eſt, ut quum priſtinus ille fervor, atque præterea latinæ linguæ uſus deſiiſſet, populusque ea, quæ a Paſtore canebantur, minime intelligeret, ſenſim cantus totus in divinis Miniſteriis ad Clerum transferretur. Quare Franciſcus Suarius, cujus locum in Sylloge infra dabo, exiſtimat, Eccleſiam, *omnibus* quidem, ut Sanctos orent, *conſulere*, ſed *paucis* tantum *præcipere*, nempe *Eccleſiæ Miniſtris*, qui ritum & modum orandi in divinis & publicis officiis ab Eccleſia inſtitutum ſervare debent. Solius itaque *cultus* non

vero

vero *invocationis* neceſſitas probatur ex feſtorum in honorem Sanctorum inſtitutione.

Mirari ſubit, quo pacto ex *Sanctorum communione*, cujus mentio fit in Symbolo Apoſtolico, neceſſitatem hanc ſtatuere volueris. Scio lectiſſimos Theologos Ludovicum Thomaſſinum *lib.* 11. *Theol. Dogm. c.* 9. & Nicolium *ad Symbolum Inſtruct.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. huic Sanctorum communioni ſuperſtruere Catholicum dogma, ut eorum opem utiliter invocare nobis liceat; neque illud immerito. At nemo eſt inventus præter te, qui ex eo capite legem nobis procuderit. Una quidem eſt Eccleſia ſub capite Chriſto. Quædam ejus membra pace & præmio poſt certamina fruuntur; alia adhuc in vita hac luctantur, caritate tamen & amoris vinculo, communique nexu, qui Chriſtus eſt, arctiſſime cum prioribus junguntur. Hinc fit, ut Beati nos ament, pro nobis Deum orent, etiam non invocati. Etenim ſi fideles in hac vita agentes pro fratribus, id licet non petentibus, orant: quanto magis Beati, quorum in nos caritas, quum Deo adhæreant, atque ei ſimiliores facti ſint, noſtram longe exſuperat? „ Neceſſe „ eſt, inquit S. Bernardus *Serm.* 26. *in Cant.* fratris Gerardi obi- „ tum lugens, te miſericordem eſſe, qui inhæres miſericordi. " Abſit, ait idem *Epiſt. de obitu S. Malachiæ*, ut tua nunc, o anima Sancta, minus efficax æſtimetur oratio, quando „ præſenti „ vividius ſupplicare eſt Majeſtati - - - Abſit, ut imminuta, „ nedum exinanita, tua illa tam operoſa caritas reputetur, quum „ ad ipſum fontem æternæ caritatis procumbis. " Paria ſunt, quæ habet *Serm. in Vigil. Petri & Pauli Apoſt.* „ Si enim, ait, „ dum hic viveret, miſertus eſt peccatoribus, & oravit pro eis; „ nunc tanto amplius, quanto verius agnoſcit miſerias noſtras, „ orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria caritatem ejus non „ immutavit, ſed augmentavit. " „ Numquid, pergit Bernar- „ dus *Serm.* 2. *de S. Victore*, cæleſtis habitatio animas, quas ad- „ mittit, indurat, aut memoria privat, aut ſpoliat pietate? "

Supereſt, ut Patrum univerſorum conſenſionem illam, quam te oſtendiſſe jactas in Commentariis tuis *de Jure Pontificio*, expendamus. Spectate vero hominis audaciam, qui licet nulla antiquitatis Eccleſiaſticæ notitia imbutus, veteres omnes veluti in digitis numeratos ſe habere videri velit. Nec ephippia bos geſtare,

re, nec arare caballus novit. Veteres in manus ſi ſumas, æque facias, atque ſi *φαλακρὸς ἂν τις πρίατο κτένιον, ἢ κάτοπτρον ὁ τυφλὸς, ἢ ὁ κωφὸς αὐλητὴν, ἢ παλλακὴν ὁ εὐνοῦχος, ἢ ὁ ἠπειρώτης κώπην, ἢ ὁ κυβερνήτης ἄροτρον*. Haud ignorant reliqui, quotquot vetera monumenta ſcrutati ſunt, quam difficile ſit totius vetuſtatis conſenſum demonſtrare. Multo minus id a Scholaſtico homine præſtari poterit, quem jubeas citius piſcari in aere, aut venari rete jaculo in medio mari, quam rite antiquitatis conſenſionem oſtendere. Itaque, ſi honorem Sanctis habitum a primis uſque Eccleſiæ ſæculis, & preces ad eos effundi ſolitas velis, id ultro tibi largior. Verum, ſi omni ævo legem quamdam exſtitiſſe dicas, quæ ſine piaculo Sanctorum invocationem omitti non poſſe edixerit: egregie te falli pronunciabo. Multa nullo cogente aut mandante facta ſunt. Laudanda illa quidem; legibus tamen nulli ſunt impoſita. Alias neceſſe eſſet, beatas illas animas vero Mediatorum officio fungi inter Deum & homines, quod Patres diſerte negant. Certe Auguſtinus *lib. 2. contra Parmenionem cap.* 8. id aperte inficiatur: „Nam, inquit, ſi eſſet mediator Paulus, eſſent utique „ & ceteri coapoſtoli ejus. Ac ſi multi mediatores eſſent, nec „ ipſius Pauli conſtaret oratio, qua dixerat, *unus enim Deus, unus* „ *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.*" Idem *tract. 84. in Joannem* de Martyribus agens: „ Si fratres, inquit, pro fratri„ bus moriamur, tamen in fraternorum peccatorum remiſſionem „ nullius ſanguis Martyris effunditur, quod fecit ille (Chriſtus) „ pro nobis. Imitari quis potuit morientem; nemo autem potuit „ redimentem." Ex his locis compulſus eſt Ludovicus Thomaſſinus *loc. cit. cap. 8. n. 7.* ut fateretur, *neceſſum non eſſe, Sanctos mediatorum nomine decorari*, ſed eam gloriam intactam & illibatam uni Chriſto addici, & reſervari poſſe, qua de re plura apud eum videri poſſunt.

Poſtquam inſeliciter veterum Suffragia ſibi comparaſſet antiquitatis imperitiſſimus Theologus noſter, ad conſueta Scholarum artificia, calumnias ſcilicet & Sycophantias delabitur. Quod argumentis confici non poteſt, id contumeliis, ut ſuccedat, Sycophantæ tentare ſolent. Mandatum itaque quum hactenus non oſtenderis: eum, qui Sanctos non invocet, Eccleſiæ uſum contemnere, atque adeo alieno ab Eccleſia animo eſſe, ſuſpicaris. Accuſationem tuam loco quodam ex *Serm. 26. de Sanctis*, quem

Auguſtini nomine recitas, ſtabilire conaris. Rurſus hic inſcitiam tuam, & in ſeverioribus litteris ruditatem manifeſtam facis. Demonſtrarunt jam pridem Congregationis S. Mauri Monachi, gregalibus tuis cucullo tenus ſimiles, ſermonem hunc pluresque alios Auguſtini non eſſe. Quisquis vero hujus ſit ceterorumque auctor, de *honore* is tantum, & contemtu, non *virtuali*, quod ais, ſed vero, nihil autem de invocatione meminit. Dicitur ibi quidem: *qui honorat Martyres, honorat & Chriſtum; & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Chriſtum.* Verum non ait: *qui invocationem omittit, ſpernit Martyres, & honorem erga Chriſtum omittit, eumdemque ſpernit.* Diſpar erat hac in re Clariſſimi Theologi Joannis Pontaſii ſententia. Hic, ut poſtea in Sylloge referam, minime eum damnandum cenſet, qui preces ſemper ad Deum per Jeſum Chriſtum effundit, nec moleſtia afficiendum, quod beatam Virginem & Sanctos non oret; tantum abeſt, ut crimini hoc illi vertat, aut *virtualem* illum *contemtum* maligne inde eruat. Aliud nempe eſt ſpernere, aliud invocationem non præceptam omittere. Honor quidem aliquis erga Sanctos, diebus nempe feſtis, eſt mandatus. Hunc ſiquis prætermittat, fractæ legis Eccleſiaſticæ reus eſt, non divinæ. Conſentiens enim eſt Catholicorum omnium ſententia, feſtos dies in Sanctorum honorem inſtitutos ſolis Eccleſiæ legibus originem ſuam debere. Contra conſenſum hunc, omnium confeſſione certiſſimum, invalidum eſt argumentum ex Pſeudo-Euſebii Alexandrini Homilia *de Sanctis colendis*, ubi dicitur *præcepiſſe nobis Deum, Sanctorum memorias celebrare*. Pſeudo-Euſebium appellavi non immerito. Bellarminus enim, Baronius, Andreas Schottus, Miræus, Labbeus, Combefiſius, verbo, quidquid uſquam eſt Orthodoxorum Criticorum Euſebio Alexandrino ſive Emyſſeno Homiliam hanc abjudicat. Quidam vero apud Miræum Fauſto Rejenſi, Semipelagiano homini, ut Noriſius *Hiſt. Pelag. lib.* 2. *cap.* 15. putat, attribuunt.

CA-

CAPUT VIII.

Univerſorum Patrum conſenſionem de Mariæ neceſſario invocandæ lege infeliciter oſtendere molitur Phrynondas. Quædam de Brigittæ & Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ ſcriptis ex Baronio & Melch. Cano aliiſque. Mediatrix *Maria quo pacto poſſit appellari. De appellationibus quibusdam Deo cum rebus creatis communibus. Paulini Nolani locus. Mariæ honores e Matris dignitate proveniunt, fatente Petavio. Solus Auguſtino Chriſtus Mediator. Ceteri minus proprie Mediatores dicuntur Vallenburchiorum judicio, quod & ex D. Paullo confirmatur. Trium priorum ſæculorum diſciplina circa B.V. invocationem ex Origene illuſtrata. Inter nos & Proteſtantes quæritur tantum, liceatne Sanctos invocare, ut cenſent Vallenburchii. Nihil conficitur ex Irenæi loco, quo Maria* Advocata *appellatur. Advocatus noſter Chriſtus; & Maria quoque quadam tamen ratione. Origenis loco ſuppoſititio utitur Phrynondas. Quæ ſit & Tertulliani genuina ſententia. Inter quarti ſæculi Patres Athanaſio ſermonem* de Deipara *inſcite tribuit Phrynondas, quemadmodum & Baſilio* Liturgiam, *atque Epiphanio Serm.* de Laudibus Deiparæ. *Sermo* de Aſſumtione *nec Hieronymi eſt, nec Sophronii. Quintum ſæculum adſcititio tantum Auguſtini loco prolato plane præterit Phrynondas. Idem tamen ex Sacris Litteris explicatur. Andreas Cretenſis non ad ſextum, ſed ad octavum ſæculum pertinet.*

HActenus profeſſus es de neceſſitate Sanctos in univerſum invocandi abunde te egiſſe. Mox ſæculorum omnium teſtimonia de lege, qua jubemur Mariam invocare, prolaturum te ais. Audax ſane facinus, atque onus, quod Scholaſtici hominis, in Patrum ſcriptis plane hoſpitis, humeri non ferunt. Conditionem tamen accipio, jamdudum a Juvavienſibus Eruditis exoptatam. Etenim, quum Criticæ artis ſtudia ludibrio a vobis haberi, & in impietatis ſuſpicionem revocari ſentirent: nihil optabilius ſibi evenire poſſe exiſtimarunt, quam ſi ἀκριτικώτατοι Sycophantæ argumentum aliquod tractandum ſuſciperent, atque in lucem emitterent, quod Criticæ artis ſubſidio egeret. Ita enim ἀκρισίαν

 & im-

& imperitiam veſtram omnibus conſpicuam futuram augurabantur. Optatis eventus reſpondit. Edidiſti tu concionem tuam, & quum tibi tuisque vetuſtatis ignorationem imputari ſcires, magno apparatu *πολυμαθείαν*, multiplicemque veterum lectionem tuam oſtentare voluiſti. Excepta eſt magnis plauſibus concio ab iis, qui nullas niſi Sycophanticas litteras deguſtarunt. Juvavienſes vero Eruditi vulgi clamoribus non perterriti diem tandem adveniſſe gaviſi ſunt, quo eis in Clariſſimo Procancellario, tot aliis honorum titulis ſuperbiente, ceterorum Sycophantarum ſtuporem omnibus ſpectandum & deridendum proponere liceret. Dediſti jam aliquoties, Doctor *πολυμαθέστατε*, quædam tuæ de Eccleſiaſtica Antiquitate peritiæ ſpecimina. Nunc Patrum omnium ſæculorum conſenſum circa Mariæ invocationem demonſtrare volens, ampliſſimum mihi aperis campum, quo te omnium impudentiſſimum ſimul & imperitiſſimum eſſe nullo negotio pervincere valeam. Rem itaque fauſto Numine aggrediamur, & vel ex ferrea fronte ruborem excutiamus.

Cauſſaris primum ſub Eccleſiæ naſcentis exordia paucos exſtitiſſe Scriptores, quorum genuina opera habeamus. Incidiſſe tamen forte fortuna te ais, veluti Æſopia gallina in margaritam, in Dionyſii Areopagitæ teſtimonium, quod in Brigittæ *revelationibus* legatur. Non male rem es auſpicatus pro tua perſpicacia a Pſeudo-Dionyſii & Brigittæ teſtimoniis, ut quivis ex primo diligentiæ tuæ ſpecimine, de ceteris quoque judicare poſſet. Conſentiens modo eſt, Catholicorum omnium, qui helleboro non egent, ſententia, ſcripta illa, quæ ſub Dionyſii Areopagitæ nomine circumferuntur, minime ejus eſſe, ſed hominis longe recentioris. Demonſtrarunt id Cardinales Cajetanus & Bona, Chriſtianus Lupus, Gerardus du Bois, Joan. Launojus, J. Morinus, Labbeus, aliique plures. Quid vero ad hanc rem, & quod primum Eccleſiæ ſæculum attinet, Brigittæ revelationes ſuffragari poſſint, plane cum ignariſſimis neſcio. Nec hujus loci eſt, quid de revelationibus his inter Catholicos docti viri ſentiant, explicare. Etſi Baronium *ad an. 604.* hac de re ita ſcripſiſſe non ignorem: „Non fiet, ut credam, quid hujusmodi Sanctiſſimis fæminis revelatum, vel ab ipſis fuiſſe conſcriptum, ſed tantum ipſarum nomine ab aliis promulgatum.“ Neque feſellit Baronium opinio. Brigittæ enim revelationes a Petro de Alvaſtro, vel ab

Al-

Alphonſo Giennenſi Epiſcopo conſcriptas fuiſſe, hodie vix ullus dubitat. Cujuscumque vero auctoris illæ demum ſint, *nihil Eccleſiæ referre* putat Melchior Canus *lib.* 12. *Loc. Theol. cap.* 3. *concluſ.* 3. *ea credere vel non credere*, quæ illis continentur. Verum, quid tandem ait Pſeudo ille Dionyſius de Maria? *Mediatricem omnium* ſæpe appellat, inquis. Quid hoc ad invocationem? Conſtat veteres Patres inſignes honorum titulos Mariæ merito dediſſe. Etenim, ut ſcite Paulinus Nolanus *Epiſt.* 4. *ad Severum*: „ Ita ſe Chriſtus nobis immiſcet, ac ſe nobis conferit, ut quod „ ipſe accepit, nobis proficere faciat . . . . Sic & honori ſuo „ implicans ſuos, prope omnia etiam nomina ſua communica„ vit. " Quod ſi id de beatis ceteris jure eſt dictum, quanto magis de B. Maria Virgine idem affirmare licebit, quæ ceteros dignitate adeo excellit. Mediatricem itaque eam quodam modo appellari poſſe non repugno. Mediatoris enim parens fuit, atque, velut ait Dionyſius Petavius *lib.* 14. *Theol. Dogm. cap.* 9. *n.* 2. ut arbori, tamquam principio, fructus imputari ſolet, & quidquid utilitatis fructus affert, arbori acceptum refertur: ita decet Chriſti laudes & dignitatem quadam ratione in Mariam ipſam redundare. „ Quidquid vero eſt in Beata Maria laude & prædicatio„ ne dignum, ait rurſus Petavius, quodcumque gratiæ ac gloriæ „ ineſt decus & ornamentum, totum id illa maternitati ſuæ re„ fert acceptum. Ab hoc enim ceu fonte & origine cuncta flu„ xerunt, quæ in ea mirifica & ſtupenda congeſſit divina largi„ tas, quæ nuſquam alias ſe copioſius atque uberius effudit. " Sit ergo illa Mediatrix, Advocata, Propitiatrix, Spes, Salus, & Perfugium reorum, tum quod Chriſtum genuit, tum quod Filii ſui honorum & titulorum aliquo pacto particeps ſit. Meminiſſe tamen oportet, quid Catholici Scriptores de harum vocum uſu monuerint. Sane Auguſtinus *lib.* 2. *contra Parmenionem cit. c.* 8. de Chriſto ait: „ Pro quo nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus; hic unus verusque Mediator eſt. " Ex noſtrorum temporum Theologis hac de re ita ſentiunt Walenburchii *tom.* 2. *pag.* 213: „ Chriſtus Jeſus ſe ipſum dedit Redemtionem pro omnibus, & ſic „ indubie *ſolus Mediator eſt*. Quid vero impedit, quo minus il„ lud nomen *latius accipiatur* pro omni eo, qui nobis in vita ſpi„ rituali adjutorio eſt, qualis eſt ſive Sanctus in cælo, ſive fide„ lis in terra, aliorum utilitati ſuis orationibus patrocinans. "

Quæ

Quæ doctrina Pauli ſenſibus plane reſpondet: *Fundamentum aliud*, ait Apoſtolus 1. *ad Corinth. cap.*3. *v.*11., *nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*. Itaque ex titulorum inter Mariam & Chriſtum ſocietate, nulla plane inferri poteſt eam invocandi neceſſitas. Solum enim illum, qui verus & unus eſt Mediator, ita neceſſe eſt invocare, ut niſi quis ad eum ſupplex accedat, ab interitu immunis eſſe non poſſit. Beata vero Virgo, quum niſi per titulorum participationem, & maternitatis dignitatem mediatrix non appelletur, ſive ut Walenburchii ajunt, voce hac latiore & minus propria ſignificatione accepta, utiliter quidem invocatur, neceſſario tamen id faciendum non eſt. Ipſe enim, quem ſupra memoravimus, Dionyſius Petavius, B. Virginis laudum diligens enarrator, fatetur, Mariæ mediationem infinitis partibus ſummo Mediatore Chriſto eſſe inferiorem. *loc. cit. n.* 3. Quare ex ſola *Mediatricis* voce nihil confici poteſt, quod Maria ſenſu laxiore & minus proprio ſit Mediatrix, neque leges aut dogmata ex impropria loquutione, niſi per vim & injuriam eliciantur.

Video a prudentioribus inter Sodales tuos tibi objectum, rem eſſe pernicioſam, eos titulos, qui Dei ſunt, paſſim & ſine delectu Mariæ tribuere. Conflari enim hoc pacto invidiam in R. Eccleſiam, & anſam Proteſtantibus dari, ut nos idololatriæ inſimulent. Sapienter illi quidem, & ut cordatos homines decet. Quid vero ad hæc reſpondes? Primum, novum non eſſe ais, appellationes quaſdam Deo cum creatis rebus communes eſſe, quod multis exemplis confirmas. Deinde nemini ignotum eſſe dicis, quo ſenſu tituli *Mediatricis*, *Servatricis*, *Reginæ &c.* Mariæ tribuantur. Poſtremo miraris, quomodo in mentem Catholicis viris venire potuerit, ut ob Proteſtantium querelas ſcrupulum hunc injicerent. Etenim ſi eorum, quæ a R. Eccleſia averſi in nos jactant, ratio eſſet habenda, cultum ipſum & invocationem Sanctorum, juſtis licet finibus circumſcriptam, penitus eſſe delendam. Hæc enim peræque eos ut impia & idololatriam exſecrari. Quod ſi clamores hos Proteſtantium nihili facimus, propterea, quod cultus omnis noſter, quem Sanctis impendimus, ad Deum referatur: ita & contemnendam eſſe eorumdem accuſationem, ſi eum idololatriæ coarguere velint, qui Mariam Mediatricem aut Servatricem appellet. Laudes enim has omnes poſtre-

ſtremo in Deum ipſum redundare. *Αἴβοῖ τί λπρεῖς*; Gerræ germanæ hæ ſunt, quas paucis explodam. Ais hoc loco & in notationibus *lit. P*, titulos complures, qui Dei ſunt, in ipſis Scripturis tribui quoque hominibus, idque ſine ulla impietate. Quemlibet enim intelligere, quo ſenſu Deo, quove hominibus tribuantur. Quid hoc aliud eſt, niſi fateri, titulos illos revera Dei eſſe proprios, hominibus autem laxiore tantum modo accommodari? Quod ſi minus proprie de hominibus illa dici poſſunt; cur ex laxiore & minus propria loquutione legem comminiſceris? Ad id quod ais, eamdem eſſe rationem eorum, quæ a te hic dicuntur, atque illorum, quæ docet Eccleſia de cultu & invocatione Sanctorum: oſtendam clariſſime, maximum eſſe inter utrumque diſcrimen. Primum Tridentinum ipſum Concilium *Seſſ.* 25. palam agnoſcit, exſtare poſſe apud Orthodoxos, qui omnia ad Deum referunt, Deiparæ & Sanctorum cultum quemdam, qui juſtos limites excedat. Hinc abuſus omnes, ſiqui forte irrepſerint, emendari vult. Plurimos autem tunc fuiſſe, ineptus eſſem, ſi demonſtrare aggrederer, quum eorum temporum Scriptores pleni ſint querelarum circa Sanctorum venerationem, quæ in ſuperſtitionem degeneraverat. Fruſtra itaque cautum fuiſſet a Tridentinis Patribus, ut ſuperſtitio omnis e medio tolleretur; potuiſſet enim quilibet, quæ fiebant, verbis tuis excuſare: honorem illum, qui Sanctis exhibebatur, ad Deum demum referri. Neque ſolum Tridentinum hac de re fuit ſollicitum, ſed & longe poſt diſſolutum Concilium plurimi exſtitere Catholici & perquam Orthodoxi Scriptores, qui plurima eſſe querebantur hoc in negotio emendatione digna. Fruſtra hi quoque fuiſſent, ſi ſubterfugio huic locus eſſet. Præterea ſi quæ a te ponuntur, rata habere oporteret, obice omni remoto quidvis jam ſuperſtitioſis hominibus liceret; nullum exſtaret circa externum cultum, qui Sanctis & Deo habetur, diſcrimen. Dum ſingula ad Deum poſtremo referantur, ſalva res eſt; honos quilibet Sanctis haberi poterit. Hinc opinionum monſtra illa, Mariam poſſe cultu *Latriæ* adorari, eamque *unicam* & maxime compendioſam ad ſalutem *viam* eſſe, ab aliis jam pridem exploſa, impune renovari jam poſſent. Quidquid enim dixero, reponent opinionum harum auctores, ſe divinitati injuriam minime facere; referre ſe enim omnia ad ipſum Deum. Quid? an non & veterum Gentilium idololatria hac pacto ab

omni

omni crimine liberari poſſet? Sane Plotinus in *Enneadis*, & Jamblichus *de Myſteriis* pluribus locis cultum, qui Diis & Statuis habebatur, impietate vacare contendebant, quod honos ille non hominibus, lignove, aut ſaxo, ſed ſummo omnium Deo haberetur, atque in illum poſtremo redundaret. Conſtat etiam iis, qui in veterum Philoſophia aliquantum ſunt verſati, Stoicæ ſectæ Philoſophos Jovis, Junonis, ceterorumque Deorum nomine ſolum atque unum omnium conditorem Deum comprehendiſſe. Quid his igitur, Phrynonda, regereres? Nonne hi tuo te argumento conficerent? Ego vero & Orthodoxi ceteri minus ſuperſtitioſi facile me ab his incommodis expedio. Ajo enim, etſi cultus omnis rerum creatarum ad Deum poſtremo referatur, oportere tamen præterea tum in ipſa ratione colendi, tum in appellationibus, & honorum titulis juſtum diſcrimen inter Deum & res creatas ſtatuere, idque & rationi, & Scripturæ, & Traditioni, atque Eccleſiæ ipſius menti eſſe conſentaneum, quod ex Tridentino Concilio, & Orthodoxis Scriptoribus, quorum jam memini, facile colligitur. Itaque, ſi modus, intra certos fines coercitus, in Maria & Sanctis honorandis ſervetur; ultro tibi do, juſtam nos calumniandi cauſſam Proteſtantes non habere. At, ſi res eo perveniat, ut promiſcuus cultus atque honor creatis rebus & Deo æque reddatur, vel modus nullus in eo ſervetur: ſane affirmare non vereor, haud injuria nos cavillandi anſam Proteſtantibus dare, atque te a Sodalibus tuis merito eſſe reprehenſum. Tu vero parvi facere videris Proteſtantium querelas, utpote qui bellum, diſcordiam, & cædes undique ſpires; pacis atque concordiæ cura nulla te ſubeat. Vos enim, Sycophantæ, quum ea, quæ funeſtæ huic ſeceſſioni inter nos & Proteſtantes occaſionem dederunt, non recogitetis, eaque ipſa quotidie faciatis, unde horrendum hoc malum eſt exortum: non in emendandis pravis conſuetudinibus, ſed in iis mordicus retinendis, aut etiam, ſi liceat, in immenſum amplificandis ſalutem Eccleſiæ ſitam eſſe arbitramini. Ita fit, ut eorum animos, qui a nobis diſceſſerunt, in dies magis abalienetis, atque ſpem omnem concordiæ e medio tollatis. Hæc de primo ſæculo dicta ſint. Illud vero, quod ex *Matris* nomine apud Joannem obvio ſub concionis finem multis verbis exaggeraſti, ſuo loco ſub examen revocabitur.

Ante-

Antequam vero ad ſequentia tempora tranſitum facio, quædam de cautione ab eorum ſæculorum Doctoribus adhibita circa Angelorum, ceterarumque rerum creatarum cultum ſunt adnotanda. Nullus mihi horum temporum Scriptor occurrit Origene illuſtrior, neque inter hujus opera nobilius aliud aut gravius ejus libris adverſus Celſum conſcriptis. Objecerat Celſus, Angelos a Judæis cultos fuiſſe. Id non de Judæis tantum, ſed & de Chriſtianis aperte Origenes inficiatur, aitque, creata *honore* quidem digna, non vero *cultu* & *adoratione*, quæ nulli concedi poteſt ſine divinitatis injuria. Τοῦτον μόνον, inquit *lib.* I. *pag.* 10. δεῖν σέβειν, τὰ δὲ λοιπὰ, ἤτοι ὡς μὴ ὄντα, ἢ ὡς ὄντα, καὶ τιμῆς ἄξια, οὐ μὴν καὶ προσκυνήσεως καὶ σεβασμοῦ, παρορᾶν. Et *pag.* 20. Ποῦ γὰρ τῶν γραμμάτων Μωϋσέως εὗρε τὸν νομοθέτην παραδιδόντα σέβειν ἀγγέλους; Ita & *lib.* 5. *pag.* 239. Πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν, καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ εὐχαριστίαν, ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως ἐμψύχου λόγου καὶ Θεοῦ. „Omnia vota, inquit, „omnes interpellationes, deprecationes, gratiarum actiones deſtinandæ ſunt ad Deum rerum omnium Dominum per majorem omnibus Angelis Summum Pontificem, vivum Verbum „& Deum.“ Hæc erat Eccleſiæ per ea tempora doctrina. Videtur tamen jam tum, & ipſo primo ſæculo, receptus quidam Angelorum & Sanctorum cultus, ſi non publice in Liturgia, ſaltem privato fidelium in eos ſtudio. Neque id improbat Origenes, etſi antea cultum ſoli Deo deberi dixiſſet. Scilicet *colendi* vox multipliciter ſumi poteſt, atque idem multiplici ratione *coli*. Quod ſi vocis illius ſignificatio, & colentium actiones repurgentur, atque decenter adhibeantur, innuit Origenes, tacite licet, fortaſſis & Angelos, ut Dei Miniſtros, adorari vel coli poſſe: Ἴσως ἂν τὸ περὶ τοῦ θεραπεύειν αὐτοὺς σημαινόμενον ἐκκαθήραντες, καὶ τῶν τοῦ θεραπεύοντος πράξεων, εἴπομεν ἂν εἰς τὸν τόπον, ὡς περὶ τηλικούτων διαλεγόμενοι, ἅπερ ἐχωροῦμεν περὶ αὐτῶν νοῆσαι. *Lib.* 8. *contra Celſum pag.* 393. edit. Hoeſchelii. Ex poſtremo hoc Origenis loco, quæ fuerit ſecundi & tertii ſæculi diſciplina haud obſcure colligitur. Cultus & adoratio, invocationes atque preces Dei ſolius propria exiſtimabantur. Attamen pii Doctores Angelos & Beatos, quorum hac in re diſpar non eſt ratio, coli & orari poſſe non abnuebant, dummodo eodem cultu & honore, qui ſoli Deo eſt debitus, non afficerentur. Hinc itaque eſt videre, tantum

veteres abfuiſſe, ut Mariæ aut Sanctorum invocationem præceptam eſſe arbitrarentur, ut potius juſtas ſibi rationes adinveniendas eſſe putarent, quibus pietati in Deum non adverſari, atque ſine crimine fieri poſſe demonſtrarent. Quin & cautio illa, qua utitur hoc loco Origenes, ſenſa ſua, tecto quodam modo ſubindicandi, ſuſpicionem mihi movet, Angelorum & Sanctorum invocationem & cultum fuiſſe tum inter arcanæ diſciplinæ myſteria, ſive inter ea, de quibus coram omnibus ſermo non erat habendus, ne Gentiles invidiam inde Chriſtianæ Religioni moverent. Quod ſiquis ex aliquot Origenis Homiliarum locis, quibus Sancti invocantur, id palam quoque, & in ipſis Sacrorum ſolemnibus fuiſſe receptum velit; diutius & pertinaciter cum eo non diſputabo. Hic de Canone Laodiceno differendum aliquid eſſet, quo juxta Theodoretum Angelorum cultus vetatur. Id vero, quum ſit ab aliis accurate præſtitum, actum agere nolo. Hoc itaque prætermiſſo, quemadmodum & illis, quæ ex Epiphanio de Collyridianis dici poſſent: ſane plurima alia loca ſunt ex Scriptoribus primorum horum ſæculorum, præcipue ex illis Patribus, qui idolorum & rerum creatarum ſuperſtitiones impugnarunt, quibus Heterodoxi utuntur ad Sanctorum cultum eliminandum. His ut obviam eant Catholici Theologi, induſtriæ ſuæ nervos intendunt, neque ſine ingenii conatu aſſequuntur, ut Sanctorum invocationem & cultum ab Eccleſia probatum fuiſſe demonſtrent. Qua igitur fronte acutiſſimus Scripturarum interpres, & veterum morum ſollertiſſimus indagator noſter hodie affirmare non verebitur, non licitam tantum tunc Mariæ invocationem, ſed & lege demandatam fuiſſe? Felicior utique ceteris omnibus hac in re eſſet & lynceus, ubi ceteri caligarunt. Certe Walenburchii *cit. tom.* 2. *pag.* 232. hanc quæſtionem fidei eſſe ajunt: „ An invocatio Angelorum ſive hominum cum Chriſto regnantium ſit licita. Neque enim inter nos & Proteſtantes quæſtio eſt: an ſit præceptum aut mandatum divinum invocandi Sanctos, licet id fingat Molinæus. Immo, inquiunt, ne quidem exiſtit *mandatum Eccleſiæ* omnes & ſingulos fidelium ad invocationem Sanctorum obligans.“

His ita præſtructis ad Irenæi locum accedamus, quo Maria Evæ Advocata dicitur. Non utar hic Gerardi Joannis Voſſii effugio, qui *Diſput.* 11. *de Invoc. Sanct. theſ.* 1. exiſtimat, Irenæum

næum græce dixiſſe *παράκλητον*, ſive *Conſolatricem*, fere ut in Scripturis Spiritus Sanctus eodem titulo decoratur. Præſtat Petavium ſequi, qui *cit. lib.* 14. *cap.* 9. *n.* 3. eamdem vocem *παράκλητος* a Græcis uſurpari docet pro eo, qui ſuccurrit, & præſto eſt alteri, veluti reo periclitanti adjutores adſunt amici & fautores, eadem ratione, qua Latini *advocati* voce utuntur. Libenter ergo B. Virgini hunc titulum ab Irenæo aliiſque Patribus jure merito datum fatemur, dummodo memores ſimus, juxta Scripturæ monitum 1. *Joan.* 2. *v.* 1., verum Advocatum noſtrum apud Patrem Chriſtum ipſum eſſe. Quemadmodum autem Chriſtus pro nobis Patrem interpellat, nobis ſubinde id non orantibus: ita & Maria preces pro nobis ad Filium effundit, quamvis eam prius non interpellaverimus. Diſpar enim eſt ratio Advocatorum hujus ſæculi, qui niſi rogati præſto non ſunt. Maria excellentioris ordinis eſt Advocata, quæ etiam non orantibus favet. Poſtremo, etſi eam niſi invocatam pro nobis orare nolis; pertinaciter non pugnabo. Verum, quemadmodum nihil obſtat, quemquam partes ſuas apud Judicem ſine Advocato tueri: ita nihil vetat, homines ad Chriſtum ſine alio Advocato poſſe accedere, etſi ultro fatear, conſultius eſſe & utilius, ſiquis Matrem ſibi propitiam & faventem reddiderit. Urges antitheſin, qua Irenæus utitur, & Mariam cum Eva componit, atque ad eam rem Tertulliani & Origenis loca adducis. Hic primum animadvertendum eſt, Origenis homilias *ex diverſis*, quorum auctoritate dictum hoc fulcit Patrologus noſter, a Baronio, Bellarmino, Sixto Senenſi, aliiſque ferme omnibus pro adulterinis haberi. Deinde nemo negabit, quamdam eſſe ſimilitudinem, qua de Eva & Maria loquentes apte uti poſſimus. Ceterum ſiquis non Oratorio, ſed Theologico more Evam & Mariam componere velit: quemadmodum illa *princeps cauſſa hominum mortis* fuit; ita & Maria *princeps cauſſa ſalutis noſtræ* dicenda eſſet, quod tu ipſe non agnoſcis verbis illis: „ Quare ſalus omnis noſtra, quam quidem a Chriſto „ Servatore noſtro *præcipue conſequuti ſumus*, adſcribitur tamen „ primis Eccleſiæ ſæculis etiam Mariæ, tamquam hujus *operis ſociæ*, atque, ut ajunt, cauſſæ concomitanti:“ Quod ſi Maria remotior tantum noſtræ ſalutis cauſſa eſt, te ipſo fatente; non videmus, cur e diſpari & imperfecta comparatione inter Evam & Mariam præceptum aliquod prudenter erui poſſit. Præſertim,

 quum

quum Sacræ Litteræ, & Chriſtiani Doctores innumeris fere locis totius ſalutis noſtræ opus ſoli Chriſto velut unico Auctori manifeſte tribuant. Si quando vero Deus ad infinitæ ſuæ in humanum genus miſerationis conſilia adimplenda rerum creatarum miniſterio uſus eſt; non illæ veluti tanti operis cauſſæ, ſi res ad vivum ſit reſecanda, appellari debent, ſed inſtrumenta tantum a Deo ad voluntatem ſuam perficiendam electa. Qui honos meritis quidem laudibus eſt proſequendus, & grato animo beneficia Mariæ, aut aliorum minoris ordinis Sanctorum inſtrumento percepta ſemper recolenda; neque tamen modus ullus in his laudandis ſervandus non eſt, ſed ſobrie id agere oportet, & quod Dei ſolius eſt, ſoli Deo tribuere. Videatur liber gallice ſcriptus a D. de Mahis, cui titulus: *Veritas Religionis Catholicæ cap. 11. tom. 1.* Itaque, quum Scripturæ Sacræ, quorum reliquis omnibus Doctoribus certior eſt auctoritas, Chriſtum Advocatum noſtrum apud Patrem eſſe doceant: ſupereſt, ut ſi quando Patres Mariam Advocatam appellaverint, id minus proprie & tralaticie dictum eſſe accipiamus; niſi eos graviter circa potiſſimum fidei fundamentum, quod Chriſtus eſt, erraſſe velimus, id quod nomini virorum de Religione noſtra adeo bene meritorum injuriam faceret. Huc ſpectant, quæ de titulo Mediatricis a nobis ſuperius dicta ſunt.

Tranſit novator noſter ad quarti ſæculi Patrum ſuffragia corradenda. Hic etſi facilius fuiſſet plura colligere, in ſpecimen paradoxæ huic Sententiæ magis faventia, attamen ineptire pergit, atque genuinis Patrum ſcriptis ſepoſitis, commenticia tantum in medium adducit. Dignum plane patella operculum. Reſpondent argumenta cauſſæ ipſius dignitati; cauſſa deſperata quum ſit, nemo pro ea, ſolidis argumentis pugnari poſſe exiſtimabit. Prodeat primo loco Athanaſius. Tribuit huic Criticæ artis juratus hoſtis noſter ſermonem *de Deipara*. Verum homines Scholaſticorum tranquillitati turbandæ nati Baronius, Bellarminus, & Natalis Alexander infando auſu ſuppoſititium eum eſſe clamant. Vocatur ibi Maria *Regina* & *Domina*. Verum idem Athanaſius *Epiſt. ad Epictetum* & *Oratione 3. in Arianos* Mariam *Sororem noſtram* appellat, quæ poſtrema opera fatentibus omnibus Athanaſii fœtus ſunt genuini. Neque injuria ea re fit Mariæ dignitati, quum & Chriſtus Majeſtati ſuæ non adverſari exiſtimaverit, quum ſe *Fratrem* noſtrum eſſe profitetur. Cave tamen putes,

me

me *Reginæ* & *Dominæ* appellationem Mariæ nolle tribuere. Occurrent quædam de hoc dicenda, ubi locum Damaſceni nomine a te productum interpretabor. Succedit Baſilius, cujus Liturgia, ubi Maria *Dominatrix noſtra* dicitur, niſi plane ſpuria ſit, pro interpolata certe habetur a Dupinio aliiſque. Melioris notæ non eſt Epiphanii Sermo *de Laudibus Deiparæ*, quem Dionyſius Petavius veluti ſuppoſititium rejicit, quod ad doctiſſimi Sycophantæ noſtri ſingularem plane eruditionem demonſtrandam monemus, etſi *Mediatricis* titulus, qui eo Sermone Mariæ tribuitur, a nobis ſupra abunde ſit explicatus. Prodeat nunc in Scenam Hieronymus, ſive quod tibi idem eſt, Sophronius *Serm. de Aſſumpt.* Dicitur ibi Virgo hæreſes univerſas *ſola* interemiſſe, atque *ſola* poſt Deum ſuis meritis nos commendare & precibus auxiliari. Sane declamatoria eſt hæc loquendi ratio, ut quivis primo intuitu intelligit. Beati enim omnes & fideles in terra viventes, ſi ſola Maria nobis prodeſſet, fruſtra pro nobis orarent. Verum opportune Maurini Monachi, vobis longe ſapientiores, metu hoc nos liberant, atque docent, ſermonem hunc perperam Hieronymo adſcribi. Sophronio vero, Hieronymi amico, æque tribui non poteſt, ut Eruditi viri adverſus Eraſmum, cui mirum eſt te hic aſſentiri, jam ſæpius animadverterunt. Agitur ibi de Mariæ in cælum Aſſumptione. At quarto & quinto pluribusque ſubſequutis ſæculis hujus rei mentio a nullo Patrum facta invenitur, ſed longe poſterioribus tantum temporibus.

Sæculum quintum Mariæ laudum adeo ferax, ſteriliſſimum tamen tibi eſt, ipſe licet ad cauſſam tuam tutandam quisquilias undique conquiras. Ubi illa Cyrilli, ubi Epheſinorum Patrum tam liberaliter in Mariam effuſa præconia? Leviora ſcilicet hæc ſunt, & in Maraccio, Marialibus, Polyantheis, Encyclopædiis, Promtuariis, Dictionariis, Bibliothecis concionatoriis, Rhapſodiis, & mille aliis inſcitiæ præſidiis minime obvia. Solus producitur Auguſtinus, cui *Sermo* 35. *de Sanctis* perperam affingitur, quem Maurini importune ex Auguſtini operum ſyllabo deleverunt. Audit ibi Maria *Porta Paradiſi* & *Scala cæleſtis*. Hæc facile ex ſuperius dictis cum orthodoxa doctrina componi poſſunt, neque quidquam ſomniis tuis favent. Porta enim, per quam neceſſe omnino eſt intrare, Chriſtus ſolus eſt, ut ipſe de ſe in Scripturis loquitur, veluti *Joan. c.* 14. *verſ.* 6. & *cap.* 10. *v.* 9.

Matth.

Matth. c. 16. v. 24. Gradum deinde facis ad ſextum Eccleſiæ ſæculum, unde nil niſi infelix lolium atque ſpinas reportas. Uteris Andreæ Cretenſis auctoritate, hujusque nomine recitas *Encomium 2. dormitionis Deiparæ*, ubi Maria *commune propitiatorium* appellatur. Verum Andreas hic Cretenſis, non ſexto, ſed octavo Eccleſiæ ſæculo floruit, ut videre eſt apud Combefiſium, qui ejus opera edidit. Commode tamen hic locus ex hactenus dictis & mox dicendis explicari poteſt. Atque hoc pacto ſex præcipuorum Eccleſiæ ſæculorum traditionem ſe probaſſe putat accuratiſſimus totius antiquitatis promuscondus noſter, qui magna minatus extricat nihil. Eant nunc Syllogiſmorum artifices; cælum terræ miſceant; captioſas argutationes adhibeant; exerant demum omnia Sophiſtices arma, quæcunque in cerebro condita habent. Nihil tamen efficient; irriti cadent imbelles omnes hi conatus. Sine Critica Arte, etſi Peripateticorum, Stoicorum, Eriſticorum, Megaricorum, Pyrrhoniorum, Academicorum, Arabum, Muhamedanorum, & Scholarum barbariei univerſæ Syllogiſmos, ſorites, elenchos, pſeudomenos, & quidquid aliud monſtrorum eſt, adhibeant; fruſtra erunt, & cum ignominia ex arena decedent. Quam vero turpe eſt, Theologum, Sacræ Scripturæ Interpretem, Juris Pontificii Anteceſſorem, Univerſitatis Procancellarium, tot Principum Conſiliarium, qui omniſcius, polygraphus, Eccleſiæ & Mariæ vindex videri velit, tam enormiter peccare, Religionis noſtræ hoſtibus nos criminandi anſam dare, atque in traditione probanda de tot palmaribus craſſisque erroribus convinci! Verum quod majus eſt, omnes audaciæ terminos es prætergreſſus, quum cauſſa tua tam male conſtituta, dicam aliis ſcribere, impietatis reos alios facere, circa Religionem in ſuſpicionem vocare, vulgus tamquam pro certiſſima & indubitatæ Fidei veritate in eos concitare, totam demum Germaniam falſis rumoribus & mendaciis replere, multis ipſe modis juſtiſſime caſtigandus, veritus non ſis. Hoc exemplo, adeo memorabili, edocti alii diſcent impoſterum, ſacras litteras illotis manibus non tractare, ſed ea ſibi præſidia, Artem præcipue Criticam, comparabunt, quorum ope ſcopulos hos evitare, utilioremque operam Eccleſiæ navare poterunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Canones quidam de Patrum uſu & interpretatione ex D. Thoma, Melch. Cano, Sixto Senenſi, Petavio, Mabillonio, Dupinio, & Muratorio. Baronii & Bellarmini in Patrum ſententiis improbandis libertas.

NUNC ad ſequentia ſæcula accedamus, atque videamus, num felicior fuerit in eorum ſuffragiis colligendis Rhapſodus noſter. Antequam vero id præſto, liceat mihi quædam tum de Patribus in univerſum interpretandis, tum de Scriptorum, qui poſt ſextum ſæculum floruerunt, auctoritate monere. Conſtat inter omnes, ſex priora Eccleſiæ ſæcula longe gravioribus & ſapientioribus viris abundaſſe, quam ea, quæ ſunt ſubſequuta. Etenim, ut poſteriores prioribus, quod pietatem & ipſam Religionis ſummam attinet, minime concedant; multum tamen ab eorum eruditione diſtant, quod bonis litteris temporum injuria neglectis, ſacræ ipſæ diſciplinæ ſegnius tractatæ fuerint. Itaque ſiquis ſex illorum ſæculorum auctoritate deſtituatur, parum aut nihil in dogmate aliquo probando proficiet. Alia ratio, cur hæc ſæcula majore in pretio habeantur, illa eſt, quod, quum veteres Patres ipſi Religionis Chriſtianæ origini propiores eſſent, atque vel Apoſtolos, vel eorum aſſeclas, aut his proximos Doctores, eorumque auditores vidiſſent aut audiviſſent; longe gravius eorum circa traditionem ſit teſtimonium. Præterea poſteriores, ubi de dogmatis diſputatio eſt exorta, ad priorum auctoritatem confugiunt; quin Scriptores pœne omnes poſt ſextum ſæculum Commentarios ſuos, in ſacros præcipue Codices, ſolis veterum verbis contexunt, neque quidquam de ſuo plerumque adjiciunt. Quod ſiquis, parem omnium ſæculorum auctoritatem eſſe, pertinaciter contendat: animus nobis non eſt diutius ei reluctari, dummodo leges de Patribus rite interpretandis accipiat, quas agnoſcunt omnes, quibuſcumque ſana mens eſt.

Potiſſima vero hoc in negotio eſt regula, præcipuam eſſe Sacrorum Codicum auctoritatem, cui ſi Patres aliqui aut plures repugnent, eorum ratio habenda non ſit. „ Etenim, quum San„ ctorum quisque, ait Melchior Canus *lib.7. de loc. Theol. c.3.* „ his

„ his dumtaxat exceptis, qui libros Canonicos ediderunt, Spi-
„ ritu fuerit humano loquutus, & aliquando vel in eo errarit,
„ quod ad fidem ſpectare poſtea demonſtratum eſt: aperte con-
„ ſtat, ex hujusmodi auctoritate exploratam fidem fieri non poſ-
„ ſe.“ Hinc & alia regula deducitur, loquutiones Patrum quorumdam improprias vel incautas non arripiendas contra receptam Catholicorum Scriptorum doctrinam. Ita rurſus Canus *loc. cit.*
„ Revera, inquit, Scriptores ſancti inferiores & humani ſunt,
„ deficiuntque interdum ac monſtrum quandoque pariunt præ-
„ ter convenientem ordinem inſtitutumque naturæ.“ Atque rurſus paullo poſt: „ Sequi majores noſtros per omnia, & in illorum
„ veſtigiis nos quoque pedes noſtros figere, ut pueri faciunt per
„ luſum, judicio eſt nos privare noſtro, & facultate inquirendæ
„ veritatis. Sequamur veteres, bene habet: ſed ut duces, non
„ ut dominos:“ Haud aliter Dionyſius Petavius ad Epiphanium *p.*205. „ Nos ea, qua par eſt moderatione in divinorum hominum,
„ ſed hominum, errores, ac lapſus, non tam inquirimus, quam obla-
„ tos ultro, ac vel invitis occurrentes, ne cui fraudi ſint, pate-
„ facimus. Tueri autem ac defendere, nihilomagis quam eorum
„ vitia, ſi quæ fuerunt, debemus.“ Atque rurſus, *pag.* 244.
„ Multa ſunt a Sanctiſſimis Patribus, præſertimque a Chryſoſto-
„ mo in Homiliis aſperſa, quæ ſi ad exactæ veritatis normam
„ accommodare volueris, boni ſenſus inania videbuntur.“ Haud aliter Mabillonius *lib. de ſtud. Monaſt. part.* 2. *c.* 3. §. 3. „ Non ita,
„ inquit, adhærendum eſt iis omnibus, quæ aliquoties a nonnullis
„ Patribus fervore ſcribendi amplificata fuerunt, ut indiſcrimi-
„ natim & inconſiderate ſingula eorundem effata velut axiomata
„ putentur.“

Tertius eſt Canon: Sicubi Patrum aliquis humani quid paſſus, a veritate in Scripturis Divinis tradita, vel a recepta Catholicæ antiquitatis doctrina deflectat, lapſus iſte clementer excuſandus, non in confirmationem dogmatis arripiendus eſt. „ Neque enim,
„ ait Auguſtinus *Epiſt.* 3. *ad Fortunat.* quorumlibet diſputationes,
„ quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scri-
„ pturas Canonicas habere debemus, uti nobis non liceat, ſal-
„ va honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eo-
„ rum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi forte invenerimus,
„ quod aliter ſenſerint, quam veritas habet divino adjutorio vel ab

aliis

„ aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, „ tales volo eſſe intellectores meorum." His reſpondent, quæ Sixtus Senenſis habet *Bibliotb. Sanct. Præf. lib.* 5. „ Oportet, inquit, matura conſideratione expendere occaſiones non paucas, „ ob quas priſci illi Eccleſiarum magiſtri non nihil interdum a „ propoſito veritatis ſcopo aberraverint. Primum, quod absque „ ullo prævio ductore intentatum antea iter aggreſſi ſunt, primique, ut adagio fertur, glaciem ſcindentes, viam poſteris „ aperuere, per quam abditi Scripturarum ſenſus veſtigarentur. „ Nec vero ſolent prima quæque diſciplinarum tentamenta ſemper eſſe omni ex parte felicia, omnisque culpæ expertia. Deinde innumera pæne pro temporum, locorum, ac perſonarum „ opportunitate dixerunt, ſcripſerunt, & ut Auguſtinus ſeipſum „ dicto Salomonis excuſans, inquit, *in multiloquio non deeſt peccatum*. Præſertim, quum nemo ſit tam oculatus, qui non ſæpe „ hallucinari poſſit, quique aliquando non cæcutiat. Nam & „ quandoque bonus dormitat Homerus. Sunt enim & in pulcherrimis corporibus nævi quidam, nihilque eſt in rebus humanis „ omni ex parte beatum. Ardebant præterea veteres illi tanto „ ſinceræ pietatis & Catholicæ defenſionis ardore, ut dum unum „ errorem omni virium conatu deſtruere annituntur, ſæpe in „ alterum oppoſitum errorem vel deciderint, vel quodam modo „ decidiſſe videantur; agricolarum more, qui incurvum teneræ „ arboris ſtipitem corrigere volentes, immodica nonnunquam „ attractione modum excedunt, plantamque ipſam in contrariam diverſamque deducunt formam." Conſentit Mabillonius *loc. cit.* „ Quotiescunque, inquit, Pater aliquis quidquam ſentire dignoſcitur ceterorum opinioni diſſonum, integra ipſi fides habenda non eſt." Ita & Muratorius *lib.* 2. *de ingen. moderat. cap.* 4. „ Ubi honeſta nulla, ait, & commoda ratio ſuccurrit, qua ab erroris ſpecie liberentur quorumdam Patrum „ dicta; ita veritatis amans hujusmodi nævos prodit, ut caritas „ ſimul vindicet eorumdem auctores a crimine. Quamquam enim, ait idem paullo ſupra, aliqui Patrum paria cum hæreticis quappiam in re nonnunquam ſcribant, inde ſibi Catholica „ Eccleſia nihil timendum habet, quæ non ſingulorum Patrum „ auctoritate nititur, ſed conjunctorum, & præſtantiorem aut „ uberiorem iſtorum partem paucioribus opponere poteſt."

I Quar-

Quarto loco regula ſit: Quando unus idemque Scriptor diverſis in locis videtur pugnantia dicere; ſerio diſpiciendum & conſiderandum eſſe, ubinam controverſiam illam data opera tractet, ſententiamque ſuam Scripturarum teſtimoniis & rationibus confirmet, atque oppoſitam opinionem diſerte confutet. Ubi vero vel aliud agens, neque ea de re ex inſtituto differens, vel illud quod ponit, non confirmans teſtimoniis Scripturarum & rationibus, nec adverſus oppoſitam ſententiam diſputans, verbis ejusmodi utatur, quæ cum ſententia illa, quam alibi aperte docuit, conciliari non poſſunt: tunc vera Scriptoris illius doctrina dicenda eſt, quæ priore ratione ab illo eſt tradita, non vero illa, quam poſteriore modo prolata verba præſeferre videntur. Audiatur rurſus Sixtus Senenſis *loc. cit.* „ Simplices quidem, in-
„ quit, & incauti Lectores, qui ſine ullo judicio atque obſerva-
„ tione in lectionem illuſtrium Expoſitorum oſcitanter feruntur,
„ cuncta ſine ullo diſcrimine ac delectu vorant, atque deglutiunt,
„ minime diſcernentes, qua de cauſſa ea, quæ ipſi legunt, ſcri-
„ pta ſint, quibus affectibus, quibus occaſionibus, locis, tem-
„ poribus, ac perſonis accommodata; num diſputandi, num op-
„ ponendi, aut increpandi gratia dicta ſint, vel ſub certæ aſſe-
„ verationis definitione firmata. Quæ dum inconſiderati Lecto-
„ res non advertunt, neceſſe eſt eos plerumque labi in aliquot
„ errores, quos in Expoſitorum lucubrationibus vel ipſi auctores
„ tam per occaſionem, quam per incuriam reliquerunt, vel hæ-
„ retici per fraudem intruſerunt. Hoc tam impudens hominum
„ genus prudentiſſime admonens D. Anſelmus in Commentario
„ *Epiſt.* 2. *ad Corinth.* ita ſcriptum reliquit: *In libris Sancto-*
„ *rum Doctorum, quos authentice legit Eccleſia, nonnunquam*
„ *inveniuntur quædam prava vel hæretica, non tamen pro his*
„ *vel libri, vel auctores damnantur. Perlegat eorum libros pru-*
„ *dens Lector, & inveniet verum eſſe, quod dico.*" His affinia
„ ſunt, quæ apud Mabillonium *loc. cit.* legas: „ Quod ſi quis,
„ ait, ex Patribus varie de re aliqua ſcripſit, poſtremæ ejusdem
„ potius, quam primæ oportebit adhærere ſententiæ." Atque
„ rurſus: „ De alicujus Patris doctrina judicandum eſt ex locis
„ potius, in quibus materiam aliquam data opera eventilarit,
„ quam ex aliis, in quibus de ipſa obiter tantum ac perfuncto-
„ rie differuerit." Alio vero loco: „ In Polemicis Patrum ope-
„ ribus

„ ribus finem, quem ſibi præfixerunt, maxime attendendum eſ-
„ ſe ait, nec iis ſemper eo uſque aſſentiendum, quo non niſi ex
„ diſceptationis fervore ipſorum ratiocinia plerumque pertige-
„ runt. “

Quinto loco eſt animadvertendum, Scriptores plurimos non ſolum poſt ſextum ſæculum, ſed & antiquiores loca quædam Scripturæ ad pietatem fovendam pro arbitrio interpretari, atque alio trahere, quam ejus loci poſtulet ſententia. Loquimur de eo interpretandi genere, qui myſticus, ſymbolicus, aut arbitrarius appellari ſolet. Licere id aliquando facere ad pietatis fervorem excitandum, nemo ſanus dubitaverit. Verum, ſi quis ex hujusmodi arbitraria interpretatione dogma aliquod eruere tentaret, egregie is haud dubio falleretur. Hoc ipſum vidit olim S. Thomas *1. part. quæſt. 1. art. 10. ad 1.* „Omnes ſenſus, in-
„ quit, fundantur ſuper unum litteralem, ex quo ſolo poteſt
„ trahi argumentum, non autem ex his, quæ ſecundum allego-
„ riam dicuntur. “ Ex innumeris noſtrorum temporum Catholicis Scriptoribus, qui paſſim uno conſenſu idem tradunt, duos proferam, Muratorium atque Dupinium. Horum prior *lib. 3. de Ingenior. moderat. cap. 8.* „Præ omnibus, inquit, animadver-
„ tendum cenſeo, hiſce myſticis atque allegoricis interpreta-
„ tionibus tum ſolum indulſiſſe Auguſtinum & reliquos prope-
„ modum Patres, quum ad populum verba faciebant, aut ſuas
„ lucubrationes in inſtitutionem & ædificationem plebis emitte-
„ bant. Quum res erat adverſus hæreticos, Ethnicos, atque
„ Judæos, tum maxima, immo unica cura iis de litterali ſenſu
„ fuit, cujus vim atque neceſſitatem tunc omnes intelligebant. “
Dupinius vero de propoſito argumento ita differit *Meth. Stud. Theol. cap. 8.* „Habet, inquit, Scriptura Sacra plures ſenſus,
„ litteralem ſcilicet & myſticum, & hunc quidem communiter
„ in tres dividunt ſpecies, in Allegoricum, Tropologicum, &
„ Anagogicum. Ex tribus his ſenſibus *ſolus litteralis probationi inſervit.* “ Id ipſum paullo poſt fuſius enarrat his verbis: „Ex
„ omnibus Sacræ Scripturæ ſenſuum generibus ſenſus *litteralis*
„ *ſolus*, quatenus ſuo ſub nomine ſenſum rei figuratæ ac aucto-
„ ris intentionem ſimul comprehendit, *idoneus eſt probandis dog-*
„ *matibus Theologicis. Senſus reliqui*, quum non ſint neceſſarii,
„ proprii, & reales, ſed ab inventione aut imaginatione lecto-

„ rum aut prædicatorum ſaltem pendeant, equidem ad ædifica-
„ tionem fidelium prodeſſe poſſunt, *ſed omnino nibil ad proban-*
„ *dum dogma quodcumque valent*. Sunt enim arbitrarii, qui non
„ ut veri Sacræ Scripturæ ſenſus, quos auctor divinitus inſpira-
„ tus, ſive Spiritus Sanctus intendit, conſiderari poſſunt; alias
„ idem eſſet, ac ſi quis ingenii ſui fœtum pro divinis oraculis
„ haberi vellet. Reprehendit hoc in Origene S. Hieronymus,
„ quem ait *Præf. lib.* 5. *in Eſai.* In allegoriarum campum late
„ pro lubitu exſpatiari, ac dum nomina pro ſuæ imaginationis
„ lubidine exponit, ingenii ſui partus *Eccleſiæ Sacramenta fa-*
„ *cere*.“ Et *in Commentario in* 39. *caput Jerem.*, allegorica
„ quadam Origenis, quem delirum interpretem nominabat,
„ explicatione adducta, diſcipulos ſuos reprehendit, quod au-
„ res his figmentis præbeant, easque pro divinis Myſteriis ha-
„ beant. S. Auguſtinus hanc in rem *lib.* 1. *de doctrina Chriſt.*
„ *cap.* 36. multo cum judicio obſervat, eum, qui ex Sacræ
„ Scripturæ verbis ſenſum duxerit, qui ædificandæ caritati ſit
„ utilis, ſed tamen ſenſui auctoris Sacri, quem præ manibus
„ habet, non conformis; eum falli errore quidem non pernicio-
„ ſo, *ſed tamen ita fallitur*, inquit, *ac ſi quisquam errore de-*
„ *ſerens viam, eo per agrum pergat, quo etiam via illa perdu-*
„ *cit. Corrigendus eſt tamen, & quam ſit utilius viam non de-*
„ *ſerere, demonſtrandum eſt, ne conſuetudine deviandi etiam in*
„ *transverſum aut perverſum ire cogatur. Aſſerendo enim teme-*
„ *re, quod ille non ſentit, quem legit, plerumque incurrit in*
„ *alia, quæ illi ſententiæ contexere nequeat.* Abutuntur porro
„ nonnulli ſenſu allegorico I. Quando ſenſum litteralem, me-
„ ras allegorias venando, negligunt, deſtruuntve, quod vitium
„ veteres in Origene graviter reprehenderunt. II. Si perſuade-
„ re nobis conantur, ſenſum hunc arbitrarium, verum eſſe Sa-
„ cræ Scripturæ ſenſum. III. Si allegorias ſcrutantur coactas,
„ longeque nimis petitas, quæ nullum nec in Sacra Scriptura,
„ nec in analogia figurarum veteris & novi Teſtamenti funda-
„ mentum habent. IV. Si ſenſibus myſticis & allegoricis ni-
„ mium inhærent, eosque pro meliori Sacram Scripturam inter-
„ pretandi methodo amplecti volunt, graviſſimo utique erro-
„ re, dum ſenſu litterali, quem auctores Sacri atque Spiritus
„ Sanctus revera intenderunt, poſtpoſito, ſenſibus mere arbi-

„ tra-

„ trariis, nulla certa regula munitis, operam atque ſtudium „ unice dari cupiunt, quod idem eſt, ac rejectis cibis ſolidis „ paſcere ſtomachum inanibus imaginationibus conari. Ejusmo- „ di farinæ commentarii magnum interpretibus ſeu auctoribus „ ſuis negotium faceſſunt, quia inuſitato more, niſuque ingenti „ imaginationis nervos intendunt, ut novas ſemper inventiones „ ſuggerant, queis tamen parum utilitatis auditoribus vel lecto- „ ribus adferunt. Paucis; ejusmodi allegoriæ multum laboris „ poſcunt, parum eruditionis ferunt, animos autem minime af- „ ficiunt. Interim non eſt prohibitum, allegorias aliquando u- „ ſurpare ad lectoris vel auditoris animum excitandum, ejusque „ attentionem alendam, modo earum uſus ſobrius ſit. Ad hæc, „ occaſione ita ferente, magis etiam ad rem facit, allegoriis co- „ gnitis in Eccleſia jam ante hac uſitatis, & a Sanctis Pa- „ tribus approbatis uti, quam ex ſuo cerebello novas mi- „ nusque notas producere. “ Eadem hæc inculcat *cap. 9.* „ Commentarios allegoricos plus ingenii, litterales plus ſolidi- „ tatis habere, & priores delectare magis, poſteriores magis pro- „ deſſe “ dicens. Rurſus *c.* 11. de traditione inveſtiganda agens „ miſſos faciendos ait ſpiſſos commentarios allegoricos, quos non- „ nulli veterum conſarcinarunt. “ Quin & *cap.* 14. „ plurimos „ antiquorum dum ſenſum allegoricum & moralem ſolummodo „ ſectantur, ad intelligentiam Sacræ Scripturæ ſenſus litteralis „ parum conducere “ exiſtimat.

Poſtremo & notiſſimæ circa dogmata adſtruenda leges apud Tertullianum *lib. de Præſcript.* & in Vincentii Lerinenſis *Commonitorio* obviæ præ oculis habendæ ſunt, atque illa præſertim, id demum firmum ac ratum eſſe oportere, *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus* traditum eſt. Hæc, quæ hactenus in gratiam Sycophantarum, ceteris quoque notiſſima ignorantium, paullo verboſius proſequutus ſum, tutiſſimæ regulæ ſunt, & quædam veluti *κυρίαι δόξαι*, quarum ductu longum ac impeditum antiquitatis iter felicius conficere licebit. Qui his deſtituuntur, ad ſingula expaveſcunt, in ſalebras incidunt, atque ſe Orbi univerſo Litterario deridendos non tantum præbent, ſed & non contemnenda incommoda Eccleſiæ faceſſunt, cui imperitorum hominum errata ab Heterodoxis, per injuriam licet tribuuntur. Itineris duces meticuloſis hiſce Theologis Baronium & Bellarminum pro-

poni-

ponimus, qui veteres Patres, ſi aliquando humani aliquid paſſi ſunt, ſine circuitione reprehendunt, atque ab eorum ſententia diſcedere religioni ſibi non ducunt. Ita Baronius ad ann. 1053. §. 14. de Petro Damiani agens: *Errore igitur*, inquit, *lapſus convincitur Petrus (excuſare eum nec debemus nec poſſumus) quem communi Catholicæ totius Eccleſiæ conſenſu conſtat eſſe damnatum*. Idem Baronius, Epiphanio, Uſuardo, atque Adoni diem dicit, de B. M. Virginis obitu dubitantibus, *ad ann.* 48. §. 15. & 16. Hanc dubitationem tametſi ab Eccleſia admitti neget, Epiphanio tamen condonandam eſſe dicit, quod aliis Sanctiſſimis atque eruditiſſimis viris ſæpe acciderit, ut dum ardentiore ſtudio in hoſtes invehuntur, vehementiore impetu in contrariam partem acti lineam veritatis transgreſſi eſſe videantur *loc.cit.* §. 12. Idem *ad an.* 109. §. 49. quædam Gregorii Turonenſis *ſimplicitati*, tam multa facile admittenti, donanda eſſe ſcribit. Nec veretur, *ad an.* 60. §. 48. *& ſeqq.* Hieronymo aliquando obloqui. De Cypriano vero ait, *ad an.* 258. §. 37. *eum plus ſatis excandeſcere ac jurgari, & a convitiis atque contumeliis diſputationem ſuam exordiri*. Gravius adhuc objurgat Firmilianum Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum, *quem iracundiæ igne inflammatum, & furore concitum in contumelias & probra ferri præcipitem, ſemelque menti tetra offuſa caligine falſa a veris minus valuiſſe diſtinguere* putat. Verecundior non eſt in Polycratem, Polycarpum, & Irenæum, quos mendacii arguere non veretur. *Ad an.* 180. §. 10. *& ſeqq.* Pari libertate uſus eſt Bellarminus *lib.* 4. *de Rom. Pont. cap.* 11. de Honorio Pontifice agens, quo loco plures quam mille & ſexaginta Scriptores erroris accuſat. Aliis vero locis veterum auctoritatem, exceptione oppoſita, declinat. Sic alicubi Prudentium *more poetico luſiſſe*, Tertullianum *Hæreſiarcham*, Lactantium *in plures errores lapſum*, Victorinum, *Martyrem quidem fuiſſe, ſed ei eruditionem defuiſſe*, ait, *licet eruditionis voluntas non defuerit*. Euthymium vero *magni faciendum eſſe* non putat. Quid memorem ea, quæ hoc & ſuperiore ſæculo ab innumeris Catholicis Auguſtini auctoritati oppoſita ſunt? Exitum non haberet oratio, ſi ſingula enumerare vellem. Pauca hæc ſpeciminis loco propoſuiſſe pro inſtituto meo non pœnitebit, etſi ſere me pudeat, prima hæc Theologiæ elementa, poſt tot doctiſſimorum virorum ſcripta attingere. Culpa tamen id ſit Anteceſ-

ſoris

ſoris noſtri longe Clariſſimi & celeberrimi, cujus admiranda in his litteris inſcitia huc vel invitus deſcendere coactus ſum. Sentiet vero ille, nec ſine ſuo ingenti malo, ut auguror, quanti ſit, tritiſſima hæc ſalubrioris Theologiæ primordia negligere atque ignorare. Quid vero fœdius, aut *Theologi* nomine indignius, quam a *Grammatico*, ſi modo Grammaticus ſum, de muneris ſui legibus non ſervatis moneri atque redargui?

CAPUT X.

Gregorii M. Sermo de Annunciatione *ejus non eſt. Sitne Maria Gregorio* Arca Fœderis? *Quo pacto id de Maria dici poſſit. Ad Salazarii dictum quædam notata. Gregorii M. de SS. invocandis ſententia. Sycophantæ Divinis Scripturis abutuntur. Catholici Scriptores jam pridem malo huic obſtitere. Sycophantæ minus ſuperſtitioſos hæreticorum loco habent. Qui ſint vere Orthodoxi Theologi? Archiepiſcopi Salisburgenſis Edicta Phrynondæ non favent. Martini I. genuina ſententia ex Actis Concilii Lateranenſis eruitur.*

HIs itaque præſidiis muniti centones reliquos Rhapſodi noſtri excutiamus. Gregorium Magnum tanto majore fiducia in ſuffragium vocat, quanto majus ex ejus Pontificis auctoritate ſententiæ atque Ordini ſuo pondus atque decus accedere putat. *Suum* enim appellat, nempe Benedictinum. Niſi Gallonius, aliique expromtæ audaciæ homines Gregorii Monachatui intercederent, facile gloriolam hanc Phrynondæ noſtro largiri potuiſſemus. Res ſane, etiam poſt Mabillonii diligentiam, valde adhuc anceps. Litem tamen hanc, ut a propoſito alienam, meam facere nolo. Quid ergo ait Gregorius, quem tuum vocas? Ais, eumdem *Serm. de Annunciat.* dicere, Mariam *Arcam* eſſe *Sanctificationis*. Quemadmodum autem juxta Jeremiam Prophetam populo Judaico ſupremum exitium ex Arcæ neglectu impendebat: ita & poſtpoſitam Mariæ, quæ Arca eſt novi fœderis, invocationem, certiſſimum eſſe hominis æternum perituri indicium. Multis modis minimeque tolerandis hic peccas. Primum tuus Gregorius locum hunc pro ſuo non agnoſcit. Conſule Gregorii

opera,

opera, quæ Monachi S. Mauri, incommodo veſtro nati, ediderunt; nullum ibi invenies *de Annunciatione* Sermonem. Verum illi Grammaticis fortaſſe ſimiliores fuerunt quam Dialecticis. Ipſe tamen Gregorius, qui minime Grammaticus fuit, aliis locis, iisque indubitatis *Arcam*, non Mariæ Virginis, ſed Chriſti & Eccleſiæ typum fuiſſe docet. Sic *lib.2. in Ezech. homil.22.* „ Arca, „ inquit, teſtamenti ipſe nobis factus eſt, de quo ſcriptum eſſe „ novimus: *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ abſconditi*. Ar- „ ca intra velum eſt Redemptor noſter in cælo.“ Rurſus *lib.1. in 1. Reg. c.2. n.48.* ad verba illa: „ *& adduxit in Domum Domi-* „ *ni in Silo*. Domus Domini, inquit, Sancta Eccleſia recte in- „ telligitur, quæ nimirum in Silo ſita eſſe perhibetur. Silo au- „ tem locus eſt, in quo Arca Dei manſiſſe perhibetur.“ Neque velim, ut me adeo difficilem eſſe putes, quaſi nollem, Mariam *Arcam Fœderis* appellari. Scio enim artes & Sycophantias veſtras; crimini id mihi capitali verteres, atque *ad ignes ad ignes* pleno gutture vociferares. Non id volo, ſed ultro tibi do, poſſe Mariam allegorice & pie Arcam vocari. Verum memor eſto ejus, quod paullo ante inter eas regulas, quas numquam noviſti, quinto loco eſt a me animadverſum: allegorias has pietati fovendæ, non vero dogmatis probandis aptas eſſe. Video autem te in notatione *lit. O*, quam ad hunc locum feciſti, Salazarii dictum a te allatum, *illum, qui Virginis opem & auxilium ſibi adeſſe non petit, haud poſſe longo tempore lethalem culpam effugere*. Scriptoris hujus ſententiam propoſito tuo non favere, contendo, etſi gravem ejus auctoritatem eſſe tibi dare vellem. Tu enim certiſſimo eum, qui Mariam non invocat, periturum eſſe paullo ante dixeras. Hic vero adeo immitis non eſt, ſed difficulter hominem ejusmodi e damnationis periculo evaſurum arbitratur. Præterea ſub concionis tuæ exordium non de difficultate ſalutis, ſed de præcepto Mariam invocandi dicendum tibi propoſuiſti. Non ignoro, Scriptores aliquos, veluti Annatum, & ſiqui alii ſunt, nullum quidem mandatum de Maria & Sanctis invocandis exſtare opinari, exiſtiment licet, ſi quis Mariæ & Sanctorum auxilium non imploret, haud procul eſſe a ſupremo æternæ vitæ amittendæ diſcrimine. His nec aſſentiri, nec contradicere mihi mens eſt, ſed preſſe Concilii Tridentini verbis inſiſtere, quod de utilitate tantum invocationis hujus meminit. Quod ſi idem eſſe

putes

putes *utile* atque *moraliter* neceſſarium, ut loqui amatis; longas tecum tricas & ſtrophas non feram, neque de vocibus, ut mos veſter eſt, pueriliter rixabor. Ceterum, ſi noſſe lubeat, quæ vera fuerit de Sanctorum invocationis neceſſitate Gregorii M. doctrina, conſulendus eſt *lib.* 18. *Moral. cap.* 28. ubi verba illa ex Canticis more ſuo allegorice explicans: *Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem. Paullum quum pertranſiſſem eos, inveni quem diligit anima mea*, hæc addit: „Quos enim vigi-
„ les, qui cuſtodiunt civitatem, niſi Sanctos Patres & Prophetas
„ atque Doctores debemus accipere, qui ſtudent ad cuſtodiam
„ noſtram ſanctæ Prædicationis voce vigilare? Unamquamque
„ ergo animam Redemtoris ſui ſpeciem requirentem, Sancti
„ Patres & ſolliciti Doctores inveniunt, qui Eccleſiæ ſtatum cu-
„ ſtodiunt, quia bonis ejus ſtudiis occurrunt, ut eam ſolo vel ver-
„ bo ſcripto doceant. Sed quum Redemtorem ſuum Eccleſia
„ quæreret, *in ipſis Patribus & Doctoribus ſpem figere noluit*,
„ quæ dicit: *paullulum quum pertranſiiſſem eos inveni quem di-*
„ *ligit anima mea*. Quippe invenire non poſſet, ſi iſtos per-
„ tranſire noluiſſet. In iſtis ſe cuſtodibus infideles fixerunt, qui
„ Chriſtum Dei Filium unum quemlibet eſſe illorum credebant.

Imperare mihi tamen non poſſum, quin occaſione loci illius Gregorii, quorum alter fortaſſe non tuus, alter vero dubio procul ejus non eſt, de manifeſto divinæ Scripturæ abuſu in ſcriptis & concionibus veſtris paſſim obvio, tum de aliis, quæ circa Mariam colendam peccatis, quædam corollarii loco adjiciam. Nihil apud vos ſolemnius quam ea Sacrarum litterarum loca, quæ de Chriſto aperte loquuntur, minime ferenda licentia ad Mariam transferre. Id vero facitis non ornatus tantum gratia, ſed ſiquis contra hiſcere audeat, impietatis eum expoſtulatis; qua re manifeſtum facitis, putare vos, ea loca non tantum pie & arbitrario ad Mariam accommodari poſſe, ſed & de illa omnino intelligi debere. Pleni ſunt tum Proteſtantium, tum præſtantiſſimorum in R. Eccleſia virorum libri querelis de vi Scripturis Sacris ab incautis hominibus illata, atque de aliis ab Eccleſiæ mente circa Mariæ cultum alienis. Facillimum mihi eſſet multa hanc in rem colligere, a quibus conſulto abſtineo, ne ſi in hunc ſermonem delapſus fuero, me calumniandi anſam vobis præbeam. Legite, ſi lubet, ex Catholicis Thierium & Bailletum

K in

in libellis *de vera pietate*, præſertim *erga Mariam*, Paſchalium & Nicolium in *Epiſtolis ad Provincialem*, Lovanienſium Theologorum, inter quos ſunt Tornacenſis Epiſcopus & ipſi Walenburchii, *Monita ad inconſultos Mariæ cultores*, Theophilum Raynaudum *in Diptychis*, Georgium Caſſandrum *in Conſultatione*, Petavium *lib.* 14. *Theol. Dogm. cap.* 8. *n.* 9. Cardinalem Sadoletum *in Epiſtolis*, Ludovicum Vivem *ad Auguſtinum de Civitate Dei*, atque poſtremo luculentiſſimum Muratorii Opuſculum *de Superſtitione vitanda*, cujus viri gloriæ æternum duraturæ nihil officient calumniæ veſtræ. Ex his abunde cognoſcere poſſes, evenire aliquando, ut inconſulta, fineſque ab Eccleſia conſtitutos excedens in Mariam pietas, R. Eccleſiæ nec grata ſit, nec probata. Quod ſatis indicat Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 25. ubi decernit, abuſus omnes, ſiqui circa Sanctos colendos irrepſerint, omnino tolli oportere. Solus, ut puto, aut cum paucis aliis exſtitit e grege veſtro Redingius *in Veritate Concil. Trid. tom.* 5. *tract.* 12. *ſect.* 2. *pag.* 79. *& ſeqq.* qui nulla, & quæ Caſſander notaverat, circa hæc in Eccleſia eſſe vitia, atque adeo nulla nos indigere circa Mariæ & Sanctorum cultum emendatione, auſus eſt affirmare. Hujus auctoritatem, quantum lubet, extollite. Potior tamen apud me eſt graviſſimorum hominum, quam recitavi, ſententia, cui quidquid uſpiam cordatorum virorum eſt, accedere novi. Neque tamen me in ea opinione eſſe exiſtimes velim, ut inſtitutas ab Eccleſia preces, aut ſaltem in templis recitari ſolitas, atque præterea Scripturarum loca, diebus Mariæ Sacris in Miſſa eidem accommodata, reprehendere cogitem. Longe abſum ab hoſtili, quem mihi pro tua benevolentia libenter tribuere velles, in Catholicam Eccleſiam animo. Scio, & jam ſupra non ſemel affirmavi, poſſe hæc pie & utiliter fieri; id ſolum cum Catholicis Scriptoribus negavi, licere Scripturæ loca, quæ de Chriſto aut Deo ipſo agunt, ita ad Mariam transferre, ut argumentum dogmati alicui probando erui inde poſſit, aut tituli & honores ſoli Deo peculiares debeant omnino & neceſſario Mariæ quoque tribui. Quis ad Catholicæ Eccleſiæ mentem magis accedat, cujusve Sententia magis orthodoxa ſit; meane, qui Concilii Tridentini Decretis, & ex noſtris celeberrimorum monitis pareo; an tua tuique ſimilium, qui toties a Proteſtantibus objecta, & quæ Tridentini Patres aboleri mandarunt, non renovatis tantum, ſed &, ſiquis inceptis ve-

ſtris

ſtris obicem ponat, eum velut impium atque ſacrilegum ubique traducitis: Eccleſiæ ipſi atque veræ orthodoxis, minimeque vulgaris doctrinæ Theologis dijudicandum relinquo. *Vere Orthodoxos* intelligo, qui ſuperſtitioſi non ſunt, & anilibus fabellis non dementati; *minime* vero *vulgaris doctrinæ* eos, qui non *docti* tantum ſunt, id eſt contentioſi & pugnaces, ſed & *eruditi*, & neceſſario complurium linguarum & diſciplinarum, Antiquitatis præcipue & Criticæ artis, quin & Grammatices quoque apparatu, vobis ringentibus, inſtructi. Nec enim tantum mihi ſumo, ut a me diſſentientes violatæ religionis incuſem, neque vos imitabor, quibus nihil ſolemnius, quam doctis & probis viris nulla de cauſſa hæreſeos notam inurere. Capitale nimirum eſt, & diris omnibus devovendum, vobis tamquam ex tripode loquentibus fidem non habere. Itaque his omiſſis inſtitutum iter proſequamur, atque ad ſeptimum Eccleſiæ ſæculum, unde digreſſus fueram, revertamur.

Poſtquam Gregorium M. non Ordini modo tuo, ſed & Sententiæ invitum fruſtra aſſerere ſtuduiſti, paullum ab inſtituto ſermone deflectis, atque e Cælo in terram deſcendens, novum, eumque ampliſſimum Patronum tibi conciliare conaris. Is eſt LEOPOLDUS ANTONIUS ELEUTHERIUS DE FIRMIAN SALISBURGENSIS ARCHIEPISCOPUS, qui nobiliſſimæ illi Eccleſiæ tanta cum laude hodie præeſt. Ex hujus concione olim ad populum habita locum quemdam excerpis de Mariæ laudibus, quod & præſtas in notationibus *lit. Q*, unde conficere velle videris, tantum Principem, tantæque in Eccleſia dignitatis, habere te ſententiæ tuæ auctorem & ducem. Quod ut facilius aſſequerere, multis eum & juſtis laudibus ornas. Inſederat mihi olim opinio, te Dialecticæ tantum & Thomiſticæ Scholæ artificia noſſe; rerum vero dextere agendarum, & aulicas artes, ut Monachum decet, ignorare. Verum infirma cauſſa non ſola nudaque veritate eſt contenta, quam ſibi parum propitiam eſſe ſubveretur; ſed & Principum, & eorum, qui in imperio ſunt, favorem captat, virium ſuarum conſcia. Opportune autem factum eſt, ut ſapientiſſimus Princeps nemine monente artificium tuum ipſe agnoverit, neque ſe laudibus tuis in transverſum agi paſſus fuerit. Quin & ægerrime tulit, te concionis ſuæ auctoritatem ad paradoxam tuam opinionem ſuſtentandam adhibere auſum fuiſſe. Providebat enim, ab imperitis ſententiam illam, a qua ipſe maxime ab-

horrebat, ſibi te monente attribui poſſe. Quare pro ſua in gregem ſibi commiſſum vigilantia concionis tuæ exempla omnia, quotquot deprehendi potuere, Conſiſtorio tradi, neque ullum eorum venum proponi mandavit. Qua re ſatis oſtendit, Edictis illis ſuis, quæ tu memoraſti, commendaſſe quidem ſe Mariæ cultum & invocationem, numquam tamen hæc ad æternam beatitatem eſſe plane neceſſaria exiſtimaſſe.

Excelſi hujus Principis, ceterorumque omnium, quibus cor ſapit, patrocinio hic inter homines quum ſis deſtitutus, in cælum rurſus aſcendens Martini I. Summi Pontificis gratiam aucuparis. Fuere, qui perlecta declamatione tua teſtimonia cetera, quotquot colligere potuiſti, parvi facientes, ad hunc unum Martini Papæ locum exhorruerunt: „ Quiſquis, inquit, beatam, „ ſuper omnem creaturam & naturam humanam, abſque eo, „ qui genitus eſt ex ea, venerabilem ſemper Virginem Matrem, „ videlicet Domini noſtri, non honorat atque adorat, anathema „ ſit, in præſenti ſæculo & in futuro. “ Hæc unde ſumſeris, non indicas, fortaſſis in Polyantheis tuis inveniſti. Ego vero inter Anaſtaſii Bibliothecarii *Collectanea* Jacobi Sirmundi ſtudio edita, ejus operum *tom.* 3. *pag.* 321. *edit. Venet.*, atque in Collectione Conciliorum omnium Joannis Harduini *tom.* 3. inter Sancti Martini *Epiſtolas* 14. *pag.* 675. invenio. Subdole tamen verba, quæ præcedebant, aut omiſiſti, aut omnino non vidiſti, a nobis neceſſario hic repræſentanda. „Porro, inquit S. „ Martinus Papa *Epiſt.* 14. *ad Theodorum loc. cit.* de Domina noſtra glorioſa, quæ Deum & Dominum noſtrum peperit, quam „ omnes Sancti & Catholici Patres Dei Genetricem appellant, „ utpote, quæ Deum hominem genuit, falſum contra me, immo contra ſuas ipſorum animas iniqui viri teſtificati ſunt. “ His ea, quæ ipſe recitaſti, deinde ſubdit. Itaque ad terrorem, quem quidam, quos dixi, re minime perpenſa, conceperant, diſpellendum; aliquanto accuratius diſpicere lubet, qua occaſione, quibusve de cauſſis hæc a S. Pontifice ſcripta fuerint. Ita & nonnullam me gratiam apud te initurum puto, ſi, qua mente hæc a Sancto Martino prolata ſint, quod hactenus ignoraſti, paucis te doceam; ſimul videbis, quo pacto ex Hiſtoria rebusque geſtis, atque narratione ex ipſis fontibus repetita, lux Theologicis controverſiis accedat, & quam illæ hiſtoriarum magis quam

ſyllo-

ſyllogiſmorum ope in bono lumine collocentur. Primum conſtat ex ipſa Epiſtola, accuſatum fuiſſe a malevolis Martinum, quaſi de B. V. Maria male ſentiret. Cujus rei originem ut diſcamus, videndum eſt, quinam ille error fuerit, idque altius ex Monothelitarum hiſtoria repetendum. Poſt Chalcedonenſe Concilium Theodorus Pharanienſis in Arabia Epiſcopus, & Sergius Conſtantinopolitanus Patriarcha, etſi duas in Chriſto naturas agnoſcerent, unam tamen tantum voluntatem, quod una eſſet perſona, in eodem eſſe contendebant. An. 640. damnati fuerunt Monothelitæ a Joanne Rom. Pontifice. Favebat e contra Monothelitis Heraclius Imperator, cujus juſſu formula quædam, quæ *Ecthesis* dicta eſt, unicam in Chriſto voluntatem eſſe docens, ab omnibus ſervanda propoſita fuit. Accuſantur Catholici in Ectheſi hac, quaſi Neſtorianis deteriores eſſent. Εἰ γὰρ, inquit Heraclius, *ὁ μιαρὸς Νεστόριος καίπερ διαιρῶν τὴν θείαν τοῦ κυρίου ἐνανθρώπησιν, καὶ δύο εἰσάγων υἱοὺς, δύο θελήματα τούτων εἰπεῖν οὐκ ἐτόλμησε· τοὐναντίον δὲ ταυτοβουλίαν τῶν ὑπ' αὐτοῦ ἀναπλαττομένων δύο προσώπων ἐδόξασε, δυνατὸν τοὺς τὴν ὀρθὴν ὁμολογοῦντας πίστιν, καὶ ἕνα υἱὸν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν δοξάζοντας, δύο καὶ ταῦτα ἐναντία θελήματα ἐπ' αὐτοῦ παραδέχεσθαι*, Hæc atque ſequentia optaſſem quidem e Græcis latine ipſe reddere, quum videam horridiuſculam eſſe Anaſtaſii dictionem, & quæ ſententiæ vim non raro minuat, aut obſcuritate ſua involvat. Verum ne inſimulari poſſim, me velle a receptis in Eccleſia interpretationibus diſcedere, tum hæc, tum quæ ſequentur, ut in Conciliorum tomis leguntur, adſcribam. Eos tamen, qui Græci ſermonis gnari ſunt, vehementer rogatos cupio, ut Græca ipſa conſiderent, unde claritas major toti negotio accedet. Ait itaque Heraclius. „ Si enim inſanus Neſtorius, licet dividens divinam Domini noſtri humanitatem, & introducens „ Filios duos, *voluntates* iſtorum dicere non auſus eſt, e contrario autem *conſentientem voluntatem* in eo, formatis duabus „ perſonis, confeſſus eſt; quomodo poſſibile eſt, Orthodoxam „ confitentes fidem, & unum Filium Dominum noſtrum Jeſum „ Chriſtum verum Deum glorificantes, duas & has contrarias „ voluntates in eo ſuſcipere? “ *Tom. 3. Concil. pag. 795.* Planum hinc eſt, Orthodoxos accuſatos fuiſſe ab Heraclio, quaſi Chriſtum dividerent, atque adeo Neſtoriano errori accederent, aut eo abſurdiora adhuc docerent. Sergio e vivis ſublato datus ei fuit ſuc-

ſucceſſor Pyrrhus Chryſopolitanus Monachus, Sergio intima familiaritate conjunctus. Quamprimum is Conſtantinopolitanam ſedem eſt adeptus, Concilio coacto Epiſcopis mandavit, ut Ecthesin probarent. Succeſſit his Heraclii ejusque filii Conſtantini mors, ipſi Pyrrho Patriarchæ funeſta. Populi enim furore coactus eſt, ſedem ſuam deſerere, atque Paulus Presbyter ei ſuffectus. Hic litteras ad Theodorum Papam dedit, a quo eſt male habitus, quod Ecthesin Conſtantinopoli ſervari pateretur. Ab Africanis quoque Epiſcopis Concilia habita adverſus Monothelitas *An.* 645. & 646. Pyrrhus ipſe, qui in Africam ſeceſſerat, habita cum Sancto Maximo Abbate diſputatione, ſententia ſua diſceſſit, atque Romam ad Theodorum confugit. Novi motus in eadem Provincia exorti, Gregorio Patricio arma in Conſtantem Imp. Heraclii nepotem ſumente, unde Muſulmannis Africam occupandi occaſio data. Itaque, quum animi utrimque incaleſcerent, atque Conſtans Imperator, qui Martinæ Auguſtæ ſucceſſerat, Africam præcipue pacare cuperet, decrevit pacis cauſſa Ecthesin tollere, ejusque loco, Paullo Patriarcha ſuadente, [*A.* 648.] *Typum*, ſive Edictum proponere, quo parti utrique ſilentium imperabatur. Δεῖν ᾠήθημεν ἐκ τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ ὁδηγηθέντες, τὴν οὕτως ἀναφθεῖσαν τῆς διχονοίας κατασβέσαι φλόγα καὶ μὴ συγχωρῆσαι αὐτὴν ἐπιπλέον τὰς ἀνθρωπίνας κατανέμεσθαι ψυχάς· διόπερ θεσπίζομεν τοὺς ὑπηκόους τοὺς ἐν ὀρθοδοξίᾳ διαπλέοντας, καὶ τῆς ἀμωμήτου ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν καθεστῶτας πίστεως, καὶ τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τυγχάνοντας, μὴ ἄδειαν ἔχειν πρὸς ἀλλήλους ἀπὸ τοῦ παρόντος περὶ ἑνὸς θελήματος, μιᾶς ἐνεργείας ἢ δύο ἐνεργειῶν, καὶ δύο θελημάτων, οἱανδήποτε προφέρειν ἀμφισβήτησιν ἔριν τε καὶ φιλονεικίαν. Ταῦτα δὲ διατυποῦμεν, οὐχ ὡς ἀναιροῦντές τι καθάπαξ τῶν εὐσεβῶς δογματισθέντων, ἐκ τῶν ἁγίων ἐγκρίτων πατέρων, περὶ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Θεοῦ λόγου οἰκονομίας· ἀλλὰ τὴν ἐπὶ πλεῖον φιλονεικίαν, τὴν ἕνεκεν τῶν προκειμένων ζητήσεων καταπαῦσαι προμηθούμενοι, καὶ μόναις περὶ τούτων ἕπεσθαί τε καὶ ἀρκεῖσθαι, ταῖς τε θείαις γραφαῖς, καὶ ταῖς τῶν ἁγίων πέντε οἰκουμενικῶν συνόδων παραδόσεσι, καὶ ταῖς ἁπλαῖς ἀπεριέργως τῶν ἐγκρίτων ἁγίων πατρῶν χρήσεσιν, ἤγουν φωναῖς· ὧν τὰ δόγματα, κανόνες τε καὶ νόμοι τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ὑπάρχουσιν ἐκκλησίας· μηδὲν αὐταῖς προστιθέντες οἰκεῖον, ἢ ὑφαιροῦντας, ἢ κατὰ τὸν ἴδιον αὐτὰς ἑρμηνεύοντας σκοπὸν, ἀλλὰ τὸ πρὸ τῆς ἀνωτέρω τῶν εἰρημένων ζητήσεων προελθούσης φιλονεικίας ἁπανταχοῦ φυλαχθῆναι σχῆμα, ὡς ἂν εἴη, μηδεμιᾶς περὶ τούτου γενομένης ἐρεσχελίας......

Τῶν

Τῶν ταῦτα παραβαίνειν τολμώντων προηγουμένως μὲν ὑποκειμένων τῷ κρίματι τοῦ φοβεροῦ καὶ παντοδυνάμου Θεοῦ· ἔπειτα δὲ, καὶ οὐ τὴν τυχοῦσαν ὑφορωμένων βασιλικὴν ἀγανάκτησιν. κλ. „ Arbitrati ſumus, inquit Imperator, ab Omnipotente Deo inſpirati, ſicut talem accenſam „ diſcordiæ flammam extinguere, & non concedere eam ulterius „ humanas animas depaſci. Quapropter ſancimus nobis ſubjectos, qui conſiſtunt in Orthodoxa & immaculata noſtra Chriſtianorum fide, qui ſunt Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, „ non habere licentiam invicem a præſenti de una voluntate aut „ operatione, aut duarum voluntatum aut duarum operationum „ qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, „ aut rixam. Hæc autem ſancimus, nihil aliquid interficientes „ penitus de piiſſimis dogmatibus, quæ a Sanctis probabilibus „ Patribus de diſpenſatione incarnati Dei Verbi dogmatizata „ ſunt, ſed ulterius contentionem, quæ gratia propoſitæ quæſtionis orta eſt, ceſſare prævidentes, & tantummodo de eis ſequi & ſufficienter habere divinas Scripturas & traditiones Sanctorum quinque univerſalium Conciliorum, & ſimplicibus ſine „ quæſtione Sanctorum probabilium Patrum uſibus ſive vocibus, „ quorum dogmata regulæ & leges Sanctæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ conſiſtunt; nihil eis addentes proprium, neque minuentes, aut per ſuam intentionem eas interpretantes, „ ſed priorem habitum ubique cuſtodiri, ſicuti antequam procederet contentio dictarum quæſtionum, quaſi nulla de eis exorta contentio &c. . . . . Qui autem ea præſumſerint prævaricari, primum quidem ſubjacent judicio terribili Omnipotentis Dei: deinde autem & non qualemcumque regalem indignationem revereantur, &c. “ Typus Conſtantis *tom.* 3. *Concil. pag.* 823. & 824. Pœnas deinde in eos, qui Edicto parituri non ſunt, adjicit. His perceptis Theodorus Papa Paullum atque Pyrrhum, qui rurſus ad Monothelitas defecerat, e dignitate dejecit, quo facto paullo poſt ex hac vita *An.* 649. migravit. Ejus loco Romanæ Eccleſiæ præfectus Martinus, Concilium in Lateranenſi Baſilica congregavit. Lectus ibi fuit *Seſs.* 4. Typus Imperatoris, quo audito exiſtimarunt quidem Patres laudandam Auguſti voluntatem & pro pace ſtudium: verum minime ferri poſſe ejus edictum ſive Typum, quo non tantum errantibus, ſed & Catholicam veritatem profitentibus os obſtruebatur. Καλὸν μὲν,

ait

ait Concilium Lateranenſe *loc. cit. pag.* 826., ὁμολογουμένως ἐστὶ καὶ πᾶσιν ἐράσμιον, τοῖς φοβουμένοις τὸν κύριον τοῦ παυθῆναι τὰς διχονοίας ἤτοι φιλονεικίας περὶ τῆς πίστεως· οὐ καλὸν δὲ διὰ τοῦ συγκαταπαύειν τῷ κακῷ τὸ καλὸν, ἤγουν τοῖς τῶν ἑτεροδόξων τὰ τῶν ὀρθοδόξων πατρῶν ῥήματά τε καὶ δόγματα: τοῦτο γὰρ ἐξάπτει μᾶλλον ἀλλ' οὐ καταπαύει δικαίως τὴν ἔνστασιν, οὐδενὸς συνεξαρνεῖσθαι καταδεχομένου τῷ ἀσεβεῖ τῆς αἱρέσεως, τὸν εὐσεβῆ λόγον τῆς πίστεως· ὁμοίως γάρ ἐστι κακὸν, τό, τε χεῖρον προσίεσθαι καὶ συναποβάλλειν αὐτῷ τὸ κρεῖττον ἀδιακρίτως· ἑκάτερον γὰρ ἐπανατρέπει τοῦ δικαίου τὸν λόγον. οὗ χάριν καὶ ὁ μέγας ἐν τούτῳ διαπορούμενος Ἀβραὰμ, πρὸς τὸν Θεὸν ἐγγίσας ἔλεγε. μὴ συναπολέσῃς δίκαιον μετὰ ἀσεβοῦς, καὶ ἔσται ὁ δίκαιος ὡς ὁ ἀσεβής; μηδαμῶς ὁ κρίνων πᾶσαν τὴν γῆν· οὐ ποιήσεις κρίσιν. εἰ μὲν γὰρ ἐξ ἀποδείξεως πατρικῆς διδασκαλίας μεμπτὸν ὁμοίως ἢ ἐπαινετὸν τυγχάνειν ἑκάτερον παρεστήσατο, καλῶς ἂν εἶχεν ὁ τύπος διὰ τὴν ἐφ' ἑκατέρου τούτων μεμαρτυρημένην αὐτῷ μέμψιν παρὰ τῶν λογίων τοῦ πνεύματος, ἢ τῶν πνευματοκινήτων πατρῶν ἐξ ἑκατέρου τὴν σιωπὴν ὁριζόμενος, ἢ τὸ ἔμπαλιν τὴν ὁμολογίαν διὰ τὴν εὐφημίαν· εἰ δὲ μηδὲν τούτων παντελῶς ἀποδέδειχεν, ἀλλὰ τὴν σιωπὴν κατὰ κοινοῦ διηγόρευσε, τοῦ, τε μίαν λέγειν ἢ δύο τυγχάνειν ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ τὰς θελήσεις καὶ τὰς ἐνεργείας, ἀρξώμεθα τῇ πατριαρχικῇ προσφωνήσει πρὸς τὸν εὐσεβέστατον ἡμῶν χρήσασθαι βασιλέα, καὶ αὐτῷ τῷ βασιλεῖ τῶν βασιλευόντων Θεῷ σὺν παρρησίᾳ προσαγομένῃ παρὰ τοῦ φήσαντος· μηδαμῶς σὺ ποιήσεις τὸ ῥῆμα τοῦτο τοῦ ἀποκτεῖναι δίκαιον μετὰ ἀσεβοῦς, καὶ ἔσται ὁ δίκαιος ὡς ὁ ἀσεβής. ἐκκλίνειν γὰρ ἀπὸ κακοῦ καὶ ποιεῖν ἀγαθὸν, αὐτὸς ἡμῖν ὁ πάντων δεσπότης προσέταξεν· οὐ μὴν τῷ κακῷ τὸ καλὸν, συναποβάλλειν ἢ συγκρίνειν τὸ σύνολον· ἐπειδὴ προσδήλως ἑκάτερον μὲν καταβλάπτει γινόμενον. ἐκεῖνο δὲ μόνον περισώζει πραττόμενον. λέγω δὴ τὸ ἐκκλίνειν ἀπὸ κακοῦ, καὶ ὁμολογεῖν τὸ καλόν. παρακελεύεται γὰρ ἡμῖν ὁ Θεὸς διὰ Μωυσέως λέγων· καὶ διαστελεῖτε ἀνὰ μέσον τῶν βεβήλων καὶ τῶν ἁγίων, καὶ ἀνὰ μέσον τῶν καθαρῶν καὶ τῶν ἀκαθάρτων. ἐγὼ κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν. καὶ φυλάξετε πάντα τὰ φυλάγματά μου, ὅπως μὴ ποιήσητε μηδὲν ἀπὸ πάντων τῶν βδελυγμάτων τούτων, ἐξολοθρευθήσονται αἱ ψυχαὶ αἱ ποιοῦσαι ἐκ μέσου τοῦ λαοῦ αὐτῶν. τοιγαροῦν οὐ δέον ἐστὶ κατὰ τῶν μὴ ἐκτρεπομένων ὁμοίως ἑκάτερον, τό, τε μίαν, ἢ δύο Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ λέγειν εἶναι τὰς ἐνεργείας, ἢ τὰς θελήσεις, ἀκρίτως ἐπιφέρειν τὴν ἀγανάκτησιν· ἀλλὰ κατὰ μόνων δικαίως ταύτην ἐπάγειν τῶν οὐχ ὁμολογούντων ἅπερ οἱ θεόκριτοι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πατέρες ὁμολογοῦσι . . . . Διό, καθὰ λέλεκται, τὸν μὲν σκοπὸν τοῦ τύπου καλὸν ὄντα, σεμνυνόμεθα· τὸν δὲ τρόπον τῷ σκοπῷ μὴ συμβαίνοντα, παντελῶς παραιτούμεθα. καθόλου

γάρ ἐςιν ἀπαράδεκτος τῷ εὐσεβεῖ κανόνι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας· μόνα σιωπηθῆναι παρακελευομένῳ δικαίως τὰ τῶν ἐναντίων, οὐ μὴν συνεξαρνηθῆναι τούτοις ἢ συνομολογηθῆναι τὰ τῶν ἁγίων πατρῶν ῥήματά τε καὶ δόγματα. Hæc ita latine in Conciliorum Collectione leguntur *loc. cit.* „ Bonum eſt proculdubio, & omnibus timentibus Deum „ deſiderabile, cohibere diſſenſiones & altercationes pro cauſſa „ fidei: *ſed non eſt utile & bonum, cum malo deſtruere bonum,* „ ideſt, cum hæreticis orthodoxorum Patrum verba & dogmata: „ quoniam hoc potius exurit, non enim mitigat merito contro- „ verſiarum ſtatum, nullo videlicet patiente denegare cum im- „ pietate hæretica venerabile verbum fidei. Similiter namque „ eſt & inhoneſtum malum amplecti, & cum eodem bonum in- „ diſcrete projicere, quoniam utrumque juſtitiæ perimit tradi- „ tionem. Unde, & magnus Abraham in hoc hæſitans, Domi- „ no appropinquans, ait: *Geneſ.* 18. *Num perdes juſtum cum* „ *impio, & erit juſtus ſicut impius? Nullo modo tu facies ſecun-* „ *dum hoc verbum, ut occidas juſtum cum impio, & erit juſtus* „ *ſicut impius: non eſt hoc tuum, qui judicas omnem terram:* „ *non facies judicium hoc*. Nam ſiquidem per approbationem „ Scripturæ, hoc eſt, paternæ doctrinæ, *reprehenſibile pariter* „ *aut laudabile utrumque oſtenderet;* bene utique fuiſſet Typus „ expoſitus, propter utriusque approbatam per ſpiritales ſermo- „ nes reprehenſionem, aut per ſpiritales Patres utriusque taci- „ turnitatem definiens, aut e contrario pro eorum laudabilita- „ te utriusque profeſſionem. Si autem nihil horum penitus de- „ monſtravit, ſed taciturnitati pariter perhibuit unam aut duas „ dicere in Chriſto operationes & voluntates; ſufficit nobis Pa- „ triarchæ voce Sereniſſimum Principem alloqui, ſed & ipſi re- „ gi regum fiducialiter eam offerentes cum eo qui ait: *Pſ.* 36. „ *Nullo modo tu facies ſecundum hoc verbum, ut interficias* „ *juſtum cum impio, & erit juſtus ſicut impius*. Declinare „ autem a malo & facere bonum, ipſe nobis omnium Dominus „ præcepit: non enim cum malo bonum averſari, aut penitus „ confirmare, quoniam utrumque dum perficitur, lædit. Illud „ autem tantummodo ſalvare conſuevit, dum perficitur, id eſt „ declinare a malo, & confiteri bonum. Præcepit namque no- „ bis per Moſen dicens: *Levit.* 10. *Ut habeatis ſcientiam di-* „ *ſcernendi inter ſanctum & profanum, & inter pollutum &*

 mundum:

„ *mundum* : *ego Dominus Deus veſter*. *Levit.* 19. *Cuſtodite om-*
„ *nia legitima mea*, *& non faciatis ex omnibus abominationibus*
„ *iſtis: quia omnis homo qui fecerit ex omnibus abominationibus*
„ *iſtis*, *exterminabitur anima ejus de populo ſuo*. Igitur nullo
„ modo oportet contra eos, qui minime denegant pariter utrum-
„ que, id eſt, unam aut duas dicere in Chriſto Deo operationes
„ & voluntates, ſine diſcretione indignationem infligere : ſed
„ juſte contra eos tantummodo hanc proferre, qui non confiten-
„ tur, quas probabiles Eccleſiæ Patres confitentur . . . . Pro-
„ pterea *intentum* quidem, ut dictum eſt, *bonum* exiſtentem
„ *Typi laudamus*, ſed *modum* ab intentu diſſonantem *averti-*
„ *mur*: quoniam omnino *eſt inconveniens Catholicæ Eccleſiæ*
„ *regula*, *in qua* utique *adverſa tantummodo jubentur merito*
„ *ſepeliri ſilentio*, non enim orthodoxa cum contrariis confite-
„ ri omnino, aut quoquo modo denegare." At ejusdem Conci-
„ lii *Seſs.* 5. *pag.* 524. *& ſeqq.* doctrinam ſuam Lateranenſes Pa-
„ tres viginti Canonibus complectuntur. Hos inter *Canone* 18.
„ anathematizant, *Καὶ σὺν τούτοις αὖθις ἐξηγήσεως τοῦ αὐτοῦ Παύλου γενόμενον ἀρτίως παρὰ τοῦ νυνὶ γαληνῶς βασιλεύοντος Κωνσταντίνου τοῦ αὐτοκράτορος, κατὰ τῆς ἐκκλησίας ἀσεβέστατον τύπον, οἷα καὶ τὰς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐπ' αὐτοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν εὐσεβῶς κηρυττομένας δύο φυσικὰς θελήσεις καὶ ἐνεργείας, θείαν τε καὶ ἀνθρωπίνην, τῇ παρὰ τῶν αἱρετικῶν ἀσεβῶς ἐπ' αὐτοῦ πρεσβευομένῃ μιᾷ θελήσει καὶ μιᾷ ἐνεργείᾳ, συνεξαρνηθῆναί τε καὶ συναποσιωπηθῆναι διαγορεύοντα· καὶ διὰ τοῦτο τὴν μετὰ τῶν ἁγίων πατέρων καὶ τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικοὺς μέμψεως ἀπαθεῖς καὶ κατακρίσεως ἀδίκως ἀπολύειν διοριζόμενον, εἰς ἀνατροπὴν τῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὅρων τε καὶ κανόνων*. Anathemati-
zant, inquam, „ *ſceleroſum illum Typum*, qui *ex ſuaſione præ-*
„ *dicti Paulli* nuper factus eſt a Sereniſſimo Principe Conſtanti-
„ no Imperatore contra Catholicam Eccleſiam, utpote duas
„ naturales voluntates & operationes, divinam & humanam,
„ quæ a Sanctis Patribus in ipſo Chriſto Deo vero & Salvatore
„ noſtro pie prædicantur, cum una voluntate & operatione,
„ quæ ab hæreticis impie in eo veneratur, pariter denegare &
„ taciturnitate conſtringi promulgantem ; & propterea cum
„ Sanctis Patribus & ſceleroſos hæreticos ab omni reprehenſio-
„ ne & condemnatione injuſte liberari definientem, in ampu-
„ tationem Catholicæ Eccleſiæ definitionum ſeu regulæ." Idem

Typus

Typus in Epiſtola Encyclica ejusdem Pontificis & Synodi ad univerſos fideles pluribus locis vocatur *impiiſſimus*. Digna ſunt, quæ hic apponantur & ſequentia: Ἐσπουδάσθη γὰρ αὐτοῖς πρὸς τῇ ἀνθρωπότητι τοῦ σωτῆρος, καὶ τὴν αὐτοῦ θεότητα βλασφημῆσαι καὶ ἀθετῆσαι, δι' ἀσεβοῦς τύπου κατὰ πονηρὰν εἰσήγησιν αὐτῶν γεγενημένου, κατὰ τῆς ἀμωμήτου ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν πίστεως, παρὰ τοῦ γαληνοτάτου βασιλέως· διαγορεύσαντες ἐν αὐτῷ τῷ τύπῳ, μήτε μίαν, μήτε δύο θελήσεις ἢ ἐνεργείας, τουτέστι, μήτε θείαν μήτε ἀνθρωπίνην θέλησιν καὶ ἐνέργειαν ἐπ' αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν τινὰ τῶν πάντων ὁμολογεῖν· ἀλλ' ἐν ἑκατέρᾳ φύσει λοιπὸν, καὶ οὐχὶ μόνον τῇ κατ' αὐτὸν ἀνθρωπότητι, παντοίως ὑπάρχειν αὐτὸν, ἀνεθέλητόν τε καὶ ἀνενέργητον, ἤγουν ἀνούσιόν τε καὶ ἀνύπαρκτον· ἵνα τοῖς κακοδόξοις αἱρετικοῖς συνεκβάλλωσι τοὺς ὀρθοδόξους πατέρας, καὶ ταῖς τῶν βεβήλων ἀνδρῶν φωναῖς, ἤγουν τῇ μιᾷ θελήσει καὶ ἐνεργείᾳ συνεξαρνηθῆναι ποιήσωσι τὰς τῶν θεολόγων διδασκαλίας, ἤτοι τὰς δύο τοῦ αὐτοῦ Χριστοῦ θελήσεις καὶ ἐνεργείας, ὥσπερ οὖν καὶ φύσεις ἡνωμένας ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως θεσπίσαντες παρανόμως· καὶ ἀνεγκλήτους, ἤγουν ἀκατακρίτους ὑπάρχειν ἐπὶ ταῖς οἰκείαις ὁμολογίαις τοὺς αἱρετικοὺς, τοῖς ἐν ἀμέμπτῳ διδασκαλίᾳ διαβεβοημένοις ἁγίοις πατράσιν, ὅπερ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τοὺς ἱεροὺς ἀνατρέπει κανόνας, μᾶλλον δὲ πάσης τῆς θεοπνεύστου γραφῆς τὴν ὁσίαν διάταξιν, μηδαμῶς ἀθωοῦσαν τὸν ἔνοχον, μήτε μὴν ὑπεξάγουσαν σὺν τῷ ἀναιτίῳ τὸν ὑπαίτιον κρίματος· ἀνώμαλον γὰρ τοῦτο καὶ θείας δικαιοσύνης ἀλλότριον. Sed &, inquiunt Patres Lateranenſes *loc. cit. pag.* 937. ſtuduerunt „ humanitatem Salvatoris atque
„ Deitatem ejus blaſphemare atque denegare per impiiſſimum
„ Typum, qui ex maligna inſtigatione illorum factus eſt con-
„ tra immaculatam noſtram Chriſtianorum fidem a Sereniſſimo
„ Principe: definientes in eodem Typo, nec unam nec duas
„ voluntates aut operationes, hoc eſt neque divinam neque
„ humanam voluntatem in ipſo Salvatore noſtro quempiam om-
„ nino confiteri. Hæc autem prædicaverunt, ut non ſolum in
„ humana ejus natura, ſed etiam in utraque omnino eum ſine
„ voluntate, hoc eſt, abſque natura & eſſentia eſſe denuntient:
„ quatenus cum perfidis hæreticis & orthodoxos Patres abjiciant,
„ & cum ſcelerolorum virorum vocibus, hoc eſt una voluntate
„ & operatione, pariter denegari faciant orthodoxorum doctri-
„ nas, id eſt, duas ejusdem Chriſti voluntates & operationes,
„ ſicuti & naturas unitas inconfuſe & indiviſe: promulgantes
„ illicite, etiam ſine reprehenſione vel condemnatione, conſi-

„ ſiſtere in ſuis confeſſionibus hæreticos, hoc eſt, in ipſa, quæ „ ab eis prædicatur, una voluntate & operatione: atque eadem „ ſine periculo libertate perfrui eos, qui in dogmatibus repre- „ henduntur, hæreticos, cum eis, qui in doctrina uſque in fi- „ nem irreprehenſibiliter delucescunt, Sanctis Patribus: quod „ utique Catholicæ Eccleſiæ ſacratiſſimas regulas deſtruere cer- „ tum eſt, magis autem totius a Deo inſpiratæ doctrinæ San- „ ctam prædicationem, *quæ nullatenus noxios excuſat, neque* „ *liberat de judicio culpantes cum innoxiis:* hoc enim pravum „ & divinæ æquitatis eſt alienum." De hoc eodem Typo ad Conſtantem Imperatorem ſcribens Martinus I. *Epiſt. 3. loc. cit. pag. 629.* ait, Pyrrhum & Paulum *ὑφαρπάσαι ἀθεμίτως, καὶ τῆς ὑμετέρας γαληνότητος ἀκοάς· ὥσπερ οὖν καὶ τὰς τοῦ ἐν μακαρίᾳ ἁπλῇ τῇ μνήμῃ πάππου τῆς ὑμῶν ἡμερότητος, ἵνα τὸν ἑαυτῶν πανούργως ἑτέροις προστρίψωνται μῶμον.* „ *Nefarie ſubrepſiſſe* Serenitatis veſtræ auribus, „ ut & antea auribus beatæ memoriæ avi manſuetudinis veſtræ, „ ut *culpam ſuam callide aliis aſpergerent.*" Et paullo poſt Typum *ex prava ſuggeſtione* ortum eſſe affirmat, atque *nequitiam & fraudem*, quæ Typi hujus veluti parentes fuere, commemorat. Nec prætereundum, quod eodem loco Sanctus Pontifex refert, Monothelitas Typum ad Africanos Epiſcopos miſiſſe, eos adhortantes, ut edicto parerent, atque a nimio rigore aliquantum recederent. Hoc Martinus tum Dei legibus, tum Imperatoris majeſtati injurioſum eſſe demonſtrat. Illæ enim nullam imminutionem patiuntur, huic vero manifeſta fiebat contumelia, quod etſi Typum adverſus exactam regulam eſſe faterentur, peterent tamen, ut ab omnibus ſervaretur. Hic animadvertere licet, quanta fuerit S. Pontificis & Concilii Patrum moderatio erga Conſtantem Imperatorem. Nullo enim aſperiore verbo in eum utuntur, ſed Typum ex aliorum *ſuggeſtione, nequitia, fraude, maligna inſtigatione*, atque ut Martinus ait, Imperatoris *auribus ſubrependo* extortum fuiſſe. Deinde verſipellium hominum artes videre eſt, qui Principibus viris eorumque favore & poteſtate abutuntur ad peſſima conſilia ſua adimplenda. Etenim, quum veritati & ejus fautoribus minime pares ſint, ne victi e ſtatione deceſſiſſe videantur, technas & dolos nectunt, ut ſpecioſo pacis obtentu nullum inter innocuos & reos diſcrimen ſtatuatur, ſed utrique pari & æquo jure perfruantur.

Hæc

Hæc olim fuit & hodie quoque eſt veteratorum improbitas, quibus juſtum & injuſtum, æquum & iniquum, falſum ac verum eodem loco ſunt, qua re nihil magis exſecrandum excogitari poteſt. Sane S. Maximus Abbas, qui potiſſimas pro Orthodoxis adverſus Monothelitas partes egit, aſtu hoc ſe circumveniri minime eſt paſſus, ſed Pyrrho petenti, ut utrimque de hac controverſia ſilentium ſervaretur, acerrime reſtitit, atque oſtendit, minime licere veritatem ſemel agnitam turpi ſilentio ſupprimere. *Vid.* S. Maximi *Opera*. Nunc, quæ de Concilio Lateranenſi, atque de S. Martino dicenda ſuperſunt, perſequamur. Concilii Patres, ut Neſtorianismi notam, quam Ecthesis Orthodoxis inurebat, a ſe amoverent, inter alios Canones & hunc condiderunt: „ Siquis ſecundum Sanctos Patres non confi- „ tetur proprie & ſecundum veritatem Dei Genitricem San- „ ctam ſemperque Virginem & immaculatam Mariam, utpo- „ te ipſum Deum Verbum ſpecialiter & veraciter, qui a Deo „ Patre ante omnia ſæcula natus eſt, in ultimis ſæculorum abs- „ que ſemine concepiſſe ex Spiritu Sancto, & incorruptibiliter „ eam genuiſſe, indiſſolubili permanente & poſt partum ejusdem „ virginitate, condemnatus ſit.“ *Concil. Lat. Seſs.* 5. *Can.* 5. Poſtquam Conſtantinopoli innotuit, Typum fuiſſe a Pontifice & Concilio damnatum, mandavit Imperator Theodoro Calliopæ Exarchæ & Theodoro Pelluro, ut Martinum in vincula conjicerent. Roma in Naxum Inſulam, inde Conſtantinopolim, ac poſtremo Cherſonam eſt deportatus, ubi exſul, rerumque omnium indigus diem obiit. Duplex crimen Martino tribuebatur. Primum, quod Saracenis, qui Siciliam occupaverant, pecunias & litteras miſiſſet. Alterum non habere eum Virgini Mariæ honorem ut Deiparæ. Verba ipſa ex Martini *Epiſt.* 14. ſupra jam dedimus. Scilicet, ut toties monuimus, Eutychiani & Monothelitæ Orthodoxos tamquam Neſtorio faventes calumniabantur. Neſtorius vero, ut in vulgus notiſſimum eſt, Mariam poſſe *Deiparam* appellari negabat. Itaque, ut Martinum Papam perderent, hæc eſt in eum accuſatio inſtructa, quæ plurimum poſſe ad multitudinis animos a Martino abalienandos credebatur. Poſt Epheſinum enim Concilium plurimum auctus eſt Virginis cultus, in quem populus, præcipue ſubſequutis ſæculis, avidiſſime ferebatur. Vix aliud vero ad plebem commovendam aptius

tius eſt, quam Virginis honorem prætendere, eumque ab iis, quos perdere volumus, temeratum eſſe confingere. Nihil erat hac calumnia putidius, quod vel ex ipſius Concilii *Can.* 3., quem recitavimus, quivis intelligit. Itaque Pontifex ad amicum Theodorum ſcribens, rem totam ita perſequitur: „ De falſis „ autem accuſationibus, quas noviter hæretici faciunt, objicien- „ tes veritatem Chriſti Dei, qualem omnino poterunt homini- „ bus veritatem loqui, qui Dei veritati reſiſtunt? Tibi igitur „ reddo rationem, dilectiſſime frater, per eum, qui judicatu- „ rus eſt mundum iſtum per ignem, qui & reddet unicuique ſe- „ cundum opus ſuum. Ego aliquando ad Saracenos nec litteras „ miſi, aut pecunias umquam transmiſi, exceptis dumtaxat qui- „ busdam illuc venientibus Servis Dei cauſſa eleemoſynæ, qui- „ bus & modicum quid præbuimus, minime ad Saracenos trans- „ miſſum. Porro de Domina noſtra glorioſa ſemper Virgine Ma- „ ria, quæ Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum peperit, „ quam omnes Sancti & Catholici Patres Dei Genetricem appel- „ lant, utpote quæ Deum hominem genuit, falſum contra me, „ immo contra ſuas ipſorum animas, iniqui viri teſtificati ſunt. „ Nam quisquis beatam ſuper omnem creaturam & naturam „ humanam, absque eo qui genitus eſt ex ea, Venerabilem „ ſemperque Virginem, Matrem videlicet Domini noſtri, non „ honorat atque adorat, anathema ſit & in præſenti ſæculo & „ in futuro. Sed homines occaſiones quærentes, ſcandala obji- „ ciunt ad ſcandalizandos multos. “ Hactenus Martinus. Re- ſtat, ut quid inde conficere velis, quantumque id cauſſæ tuæ profit, perſpiciamus. Poſt anathema Martini relatum hæc ad- dis: „ Exſecratio hæc non in eos tantum cadit, qui Mariam „ ignominia afficiunt, ſed & in illos, qui ei nullum revera „ honorem ipſo opere deferunt, aut nullas ad eam preces fun- „ dunt. “ Quod de precibus ais, numquam ex Martini verbis extorquebis. Vidiſti, quæ fuerit contra Catholicos in Ecthesi, & in Martinum a Calliopa accuſatio intentata. Vidiſti, quid Concilii Lateranenſis Patres *Can.* 3. de Maria pronuntient, ve- ram ſcilicet eam eſſe *Dei Genetricem*; vides, quid & Martinus accuſationi reponat, Mariam nimirum *Dei Genetricem honoran- dam*, ſive honorem ei ut Dei Genetrici habendum. Nulla de invocatione ibi mentio. Accuſatus non fuit Martinus, quod ne-

ceſſum

ceſſum non eſſe putaret Mariæ opem implorare, ſed quod eam, Dei Genetricem eſſe non crederet. Accuſationi reſpondet, ſe Dei Genetricem honorare. Itaque toto hoc in negotio legis, aut invocationis nec vola eſt nec veſtigium. Quod ſi circa vocem illam *adorat* cavillari pergas, docebo te, ex ejusdem Pontificis *Epiſt.*15. juxta illius ævi conſuetudinem idem fuiſſe adorare atque ſalutem dicere honoris cauſſa. Sic Calliopas Martinum ſe *adorare* velle ait, & tamen paullo poſt *ſalutandi* voce idem explicat. *cit. Epiſt.*15. Tantum itaque abeſt, ut Sanctum Martinum I. faventem habeas, ut potius cauſſa tua multa habeat communia cum Monothelitis S. Pontificis hoſtibus. De te enim tuisque, ut Martinus de illis, jure dicere poſſum: „ Sed homi-
„ nes occaſiones quærentes, ſcandala objiciunt ad ſcandalizan-
„ dos multos.“

Τὰ δ' ἄλλα πάντα, ϗ σιωπῶντος ἐμοῦ
Ἐπαξιῶ σε . . . . ἐξειδέναι.

Caput XI.

Ildephonſus Toletanus incertum eſt, num Benedictinus fuerit; Sermo vero de Aſſumtione *certo ejus non eſt, explicatur tamen. Phrynondæ circa Germanum CP. turpis quingentorum annorum anachronismus. Rejicitur audax dictum de Maria in Sermone* de Zona *Germani junioris. Ridiculus eſt Phrynondas Damaſcenum Ordini ſuo adſcribens, & ſuppoſititia ſcripta Damaſceno tribuens. Quo ſenſu Maria* Regina *dici poſſit. Phrynondæ de Idiota frigidior jocus, & novus quingentorum annorum anachronismus. Ei & Odiloni Sacræ Litteræ & Canones de uſu Patrum opponuntur. Homilia* de Nativitate *non eſt Petri Damiani, nec Anſelmi liber* de excellentia B. V. *Bernardi loca quædam expenduntur & explicantur aliis Bernardi dictis oppoſitis. Sycophantæ, quod peſſimum eſt in Veteribus, eligunt. Richardi a S. Laurentio, Alberti M., & Bonaventuræ locis obviam itur. Eximium Bonaventuræ dictum in medium adducitur. Quantum Thomæ Aquinati ſit tribuendum? Sex poſt Thomam ſæcula injuria præterit Phrynondas. Calumniam renovat de rejecta Cantione* Salve Regina *&* Matris Miſericor-

diæ

diæ appellatione. Mala inde enata. Fruſtra ſe Sycophantæ Mariæ nomine tegunt. Quo ſenſu Maria Univerſorum Mater *dici poſſit. Inepta Phrynondæ arguendi ratio, & vis Decalogi tabulis illata. Guerici Igniacenſis declamatio refellitur. Sixti Senenſis de declamatoribus dictum. Gregorii VII. & hodierni Salisburgenſis Archiepiſcopi auctoritas a Phrynonda fruſtra uſurpata. Veterum dicta ad normam purioris doctrinæ exigenda. Expenduntur Cyrilli & Sulpicii Severi loca quædam. Phrynondæ Oratio Juvavii a prudentioribus inter Benedictinos non probata.*

HOc præſidio dejectus Roma in Hiſpaniam tranſitum facis, atque inde Ildephonſi Toletani Archiepiſcopi, quem tuum appellas, auctoritatem tibi concilias. Hic neque tuus eſt, nec tibi favet, neque *Serm.* 4. *de Aſſumt.* pro ſuo agnoſcit. Tuus non eſt, quod Ildephonſus Monachus Agalienſis fuerit in Hiſpania. Agalienſe vero Monaſterium Benedicti regulæ addictum putant vulgares Scriptores auctoritate Chronici Maximiani, quod apud ſaniores exiguo in pretio habetur, multisque vitiis laborare dicitur a Maurinis Monachis *in Hiſt.Ord.S.Benedicti lib.*2.*cap.*37. *n.*4. Iidem Monachi, in Epiſtola huic ipſi Hiſtoriæ præmiſſa, obſcuriſſimam eſſe ajunt Monaſteriorum Ord. S. Benedicti tribus prioribus ſæculis originem, atque Benedicti regulam ſerius quam in ceteris Europæ partibus, in Hiſpania & Hibernia fuiſſe receptam. Quare Ildephonſus Benedictinus non fuit. Sermonem vero, ſive *Homil.* 4. *de Aſſumt.* S. Ildephonſi eſſe negant Combefiſius & tuus Dacherius, qui ea, quæ Ordinis Benedictini ſunt, te longe melius norat, qui tua & aliena promiſcue habes. Quod ſi & Homilia illa Ildephonſi eſſet, parum tibi ſuffragaretur. Ait ille, Mariam eſſe *in omnibus auxiliatricem*. Tædet jam ſæpius dicta repetere. Poteſt enim Maria, ut ipſe ſæpius fateris, præſertim ubi argumentis reſpondes Sodalium tuorum longe te prudentiorum, etiam non invocata nobis patrocinari, aut ideo auxiliatrix vocari, quod ſi invocetur, nobis præſto ſit. Legem vero aut neceſſitatem ejus invocandæ nullam inde conficies.

Jucundum deinde nobis ſpectaculum præbes, quum ſermonem *de Zona* octavo ſæculo a Germano I. CP. Patriarcha ſcriptum ais. Exiguus hic eſt quingentorum annorum anachroniſmus, res apud

apud te nullius momenti, qui tempora, mores, & dogmata ſus deque vertis, dummodo quidpiam tibi corradere liceat, quod ignaris fucum facere poſſit. Verum Leo Allatius, Catholicus Scriptor, & hodiernorum Græcorum doctiſſimus, jam pridem demonſtravit, ſermonem hunc ad alterum Germanum Juniorem pertinere, qui ſæculo XIII. floruit. Monuit autem Dupinius *Meth. Theol. cap.* 11. ad traditionem inveſtigandam parum facere Scriptores XII. XIII. & XIV. ſæculorum, quibus ſoli Scholaſtici regnum obtinebant. Hinc, quod in Sermone illo *de Zona* dicitur, *nullum eſſe, qui ſalvus fiat, niſi per Mariam*, tum Scriptoris & temporis haud magna auctoritate, tum dicti inſolentia merito eſt rejiciendum; niſi, ut ſupra monitum eſt, Mariam univerſorum ſaluti tamquam Chriſti Matrem, & inſtrumentum humani generis Redemtori in lucem dando divinitus electum, conſuluiſſe dicamus. Quid vero tibi in mentem venit, ut Joannem Damaſcenum Benedictino Ordini, & Græcorum Menæa Damaſceno adſcriberes? Mirus es in hoc genere, qui non Europam modo omnem, ſed & Aſiam Benedictinis Monachis imples. Verum, quum vobis res adeo male domi veſtræ ſuccedat, ut & Rupertum Salisburgenſem non levibus argumentis viri docti vobis abjudicent: ſatius eſſet, quæ veſtra ſunt & domeſtica ſarta tecta ſervare, quam, quum illorum jacturam faciatis, in Aſiam uſque ad hanc ſarciendam proficiſci. Prudentius eſt Maurinorum conſilium, quorum dum tam ſæpe memini, ſatietate atque odio vos enecare mihi videor. Hi Græcos Monachos ſuos non fuiſſe ingenue fatentur; eorum tamen res geſtas deſcribunt, quod Benedictus ad eorumdem imitationem Monaſteria in Europa erexerit. Vid. *Præf. ad Hiſt. Ord. S. Bened. tom.* 1. gallice ſcriptam. Non minus ineptus es, quum Damaſceno Græcorum *Menæa & Orationem de B. Virgine* tribuis, quæ fruſtra in ejus operibus quæras. Sed etſi Damaſcenus, Mariam *tamquam Reginam veriſſimo dominatu potiri*, dixiſſet, iniquus eſſes, ſi ei interpretationem tuam tribueres. Tu enim Mariam non titulo & honore tenus, ſed veram Reginam, quæ re ipſa dominetur & regnum poſſideat, eſſe ſomnias. Quis, niſi madidus & mente motus, eo ſtultitiæ perveniat, ut exiſtimet, Deum, quem Sacri Codices poteſtatis & Dignitatis ſuæ *Zeloten* appellant, alium Regem ſive Reginam in Regno ſuo paſſurum eſſe? Dei dominatus ejus ſolius peculiaris eſt, neque ſine ſumma

M inju-

injuria ſocius ei addi poteſt. Quidquid infra Deum eſt, non regnat, ſed paret. Maria honoris ergo appellari ſolet Regina, & quod validior ejus ſit quam ceterorum pro nobis deprecatio. Superſedeo de *Mediatricis* titulo agere, qui legitur in *Oratione de B. Virgine*, quod ſatis & ſæpius hac de re dixerim, quemadmodum & de voce illa *debemus*, quæ non ſemper neceſſitatem aut legem, ſed & decentiam quamdam atque utilitatem indicat. Conſulendi Geſnerus *ad Fabri Theſaurum v. Debeo*, & Paræus *Lexico Critico v. oportet*.

Ineptire pergis, dum *Sapientiſſimum Idiotam*, ut ludere amas, nono ſæculo ſcripſiſſe ais. Facetum te & cano capite blanditiarum ſectatorem eſſe ferunt. Verum joci tui frigidiores paullo ſunt, atque tuſſim & ravim movere nati. Ego ſane ad bilem magis quam ad riſum commoveor, dum video, tantum ſilicernium Scriptoribus uti, quorum nec nomen, nec ætatem norit. Idiota hic tuus a plerisque, velut a Bellarmino, decimo ſæculo vixiſſe credebatur. Sed Theophilus Raynaudus ex MS. Turonenſi ejusque inſcriptione oſtendit, verum Auctorem libri *de Virgine Maria* eſſe Raymundum Jordanum Præpoſitum Uticenſem in Gallia, qui ad XIV. ſæculi finem vivebat. En novum quingentorum annorum, qui totidem temporis puncta tibi ſunt, anachroniſmum. Sed quis ferat, quocumque demum ſæculo vixerit, hominem de Maria dicentem, *per ipſam, & in ipſa, & cum ipſa habere mundum & habiturum eſſe omne bonum?* An plura atque majora de Deo ipſo dici potuiſſent? Certe ita fere de ipſo Deo Scripturæ loquuntur 1. *Joannis* 1. *v.* 3. *Coloſs.* 1. *v.* 8. Exigenda igitur hæc ſunt ad veræ doctrinæ normam, & ſi quid pietatis fervore aut Virginis amore audacius dictum viris bonis excidit, adhibita interpretatione emolliendum. Idem repono ad Odilonis Cluniacenſis *Serm. de Incarn.*, & memorem te eſſe velim eorum, quæ de Scriptoribus horum Sæculorum plus ſemel animadverti. Homilia *de Nativit.* tui Petri Damiani non eſt, Baronio & Poſſevino judicibus, quemadmodum nec Sermo *de Nativitate*, quem Nicolai Clarævallenſis eſſe ex Ciſtercienſi Bibliotheca conſtat. Data ibi dicitur *poteſtas omnis in cælis & in terra Mariæ*. Hoc ſacræ litteræ de divina Sapientia ſive Verbo pronunciarunt. *Matth.* 28. *v.* 18. Itaque, etſi aliquando & Mariæ accommodetur, benignius id quidem fit, quam verius, neque, ut poſitum in regulis eſt,

dogma

dogma ullum ducere inde licet. Levius eſt, & jam ſæpius explicatum, quod in libro *de excellent. B. Virg.* legitur, res creatas omnes *venerari & Dominam habere Mariam*. Sed neſcio quo pacto liber hic tui Anſelmi non eſt, cujus quoque nomine Hymni & Pſalterium Marianum etſi circumferantur, ſi Gerberonio fides eſt, Anſelmi genuina opera non ſunt. Locus alter, quem *ex Oratione ad B. Virginem* adducis, explicatus fuit ab incomparabili Viro Ludovico Antonio Muratorio, libello *de ſuperſtitione vitanda*, cujus mentio jam facta eſt.

Tranſeo nunc ad tutiſſimum illud munimentum, quo omnes Mariam imprudentius laudantes confugere ſolent. Is eſt Bernardus, ex cujus ſcriptis, eximiis licet abundent Mariæ præconiis, tam pauca decerpis, quamvis non demenſo, ſed pleno horreo inde ſumere potuiſſes. Verum inſignis injuria fit Sanctiſſimo Viro, & pro temporum conditione in Sacris litteris & puriore doctrina valde exercitato. Etenim, ſi ſua a lævæ mentis hominibus hanc in partem detortum iri cogitaſſet, temperaſſet utique ſibi a Maria præter melioris antiquitatis morem tantis laudibus exornanda. Prior locus ex Sermone *de aquæductu in Nativ. B. M. V.* ubi Bernardus *ſiquid gratiæ, ſiquid ſalutis, ſiquid ſpei in nobis eſt, ab ea redundare* ait, ex eodem Sermone eſt explicandus. Docet enim ibi Bernardus, licere ad Chriſtum accedere, antequam Mariæ opem imploraverimus. Verba ſuperius a me jam allata ſunt. Fateor eumdem dicere *Serm. de Aſſumt.* „ Opus „ eſſe nobis Mediatore ad Mediatorem, neque alium utiliorem „ eſſe quam Mariam.“ Verum nego & pernego hæc vulgarium Grammaticorum more eſſe accipienda, ut ſumma neceſſitas inde conficiatur. Clementius cum tanto viro agendum, neque alienum quid a ſanioris doctrinæ regula ei affingendum. Tu ipſe non ignoras, quid Bernardus *Epiſt.* 174. monuerit; video enim locum a te ſub ſcripti tui finem adnotatum, atque ſimul parum te ex ejuſdem monito profeciſſe. Ait Bernardus: *Honor Reginæ judicium diligit; Virgo Regina falſo non gaudet honore.* Hæc eſt Bernardi mens, ex qua cetera omnia judicanda. Cur vero locum alium *ex Serm. 4. in Aſſumt. B. V.* in tui patrocinium non adſcripſiſti? Bernardus Virginis laudes, ut ſolet, magno ardore explicans: „ Laudamus, inquit, virginitatem, humilita- „ tem miramur: ſed miſericordia miſeris ſapit dulcius, mi-

„ ſericordiam ampleſtimur carius, recordamur ſæpius, crebrius „ invocamus. Hæc eſt enim, *quæ totius mundi Reparationem* „ *obtinuit*, *ſalutem omnium impetravit*. Conſtat enim pro uni- „ verſo genere humano fuiſſe ſollicitam." Vide, quam liberaliter tecum agam, qui & arma ex domo mea tibi præbeam parum tamen mihi nocitura. Clamant Scripturæ, Chriſtum eſſe totius humani generis inſtauratorem, & qui ſalutem omnibus impetraverit. Nullus enim niſi Deus Patrem nobis propitiari poterat. Rerum creatarum, inter quas Maria eſt, vires ſuperat, hominem cum Deo reconciliare. Vide *Job* 14. *v*.4. *Iſai*.33. *v*.22. Epiphan. *in Ancorato*. *n*.44. & Chryſoſtomum *apud Theodoretum Dial*. 2. Itaque aut Bernardus cum divinis litteris pugnat, aut ab eo dicta ita crude non ſunt accipienda, ſed mitior interpretatio eis adhibenda, ut exſultantem, & veluti in Maria laudanda luxuriantem ejus orationem intra Divinæ doctrinæ fines coerceamus. Tu vero, tuique ſimiles balatrones alii, ſiquid excuſatione & emendatione dignum, ut homines erant, veteribus excidit, id tamquam e cælo delapſum ampleſtimini & exoſculamini; ſeverius autem & gravius dicta parvi penditis atque præteritis. Qua in re Salluſtium mihi æmulari videmini, ea imitantem, quæ in Catone minus erant probanda, Lenæo Pompeji liberto judice apud Suetonium *de claris Grammaticis*. Eodem negotio & locum Richardi a S. Laurentio *lib*.6. *de Laud*. *Virg*. explicandum cenſeo. Atque hic potiſſimum cuperem, quinque priores regulas illas de Patrum interpretatione a me poſitas, loco huic aliiſque ſimilibus aptari. Ad Alberti M., Bonaventuræ, & Thomæ verba reponimus: niſi juxta totius Eccleſiæ mentem explicentur, veniia magis quam laude indigere. Nova enim plane ſunt, & ab antiquitatis placitis aliena. Lege apud Caſſandrum *in Conſult*. *p*. 142. quid a Bonaventura circa Mariæ cultum ſcriptum fuerit: „ Etiamſi Mater, inquit, ſit habenda in reverentia, multo ma- „ jor tamen eſt habenda erga Filium, ex quo eſt illi omnis ho- „ nor & gloria, qui eſt omnium Redemtor & Salvator, qui om- „ nibus aperit januam, & unus pro omnibus mortuus eſt." Idem „ Bonaventura apud eumdem Caſſandrum cavendum docet, ne „ dum Matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur, & „ ſic in illo Mater provocetur, in quo magis vult Filium extolli „ & honorari, quam ſe ipſam, utpote Creatorem creatura."

Cete-

Ceterum niſi Scholaſticorum Theologorum dicta ad hanc regulam exigantur, tanto minoris ſunt auctoritatis, quanto minor erat eorum in Sacris litteris & puriore antiquitate peritia. Cur autem nullum Doctorum horum locum ex eorumdem Summis Theologicis, ſed tantum ex *Sermonibus*, *Speculis*, *Pſalteriis Marianis* adducis? Majoris utique eſſent ponderis ex tractatu quodam Theologico, quam ex pio opuſculo ſumta. Thomam Aquinatem laude ſua fraudare nolo.

- - - - - „ Sed ille
„ Si foret hoc noſtrum fato dilatus in ævum
„ Detereret ſibi multa; recideret omne quod ultra
„ Perfectum traheretur. “

Ergo gravis alias licet, tanta hic tamen ejus apud me non eſt auctoritas, ut ei aſſentiar, quum verba *Eccleſiaſt. cap.* 24. *v.* 24. ad Mariam transfert, niſi id non dogmatis probandi cauſſa, ſed pietatis tantum fovendæ gratia fiat. Ipſe enim Thomas, ut eſt a me quinto loco in regulis adnotatum, ex ſenſu allegorico nullum argumentum ad dogmata trahi poſſe docet.

A Thoma hoc incepiſti, in Thomam hunc definis, quaſi ceteri omnes poſt Thomam deſipuiſſent, nulloque loco eſſent habendi. Poſtremo hoc loco adducto triumphum ante victoriam canis, & divinum præceptum atque traditionem ſæculorum omnium a te fuiſſe demonſtratam gloriaris. Itane vero quatuor poſtrema, ut decimum quartum mittam, Eccleſiæ ſæcula tanto ſupercilio a te contemnuntur, ut nullum ex iis, qui tunc ſcripſerunt, traditioni probandæ idoneum putes? Refloruerunt xv. ſæculo humaniores litteræ, quas & graviorum inſtauratio ſubſequuta eſt. At poſtremis tribus ſacrarum litterarum ſtudia tanta ſedulitate atque induſtria ſunt exculta, & ſuperiorum temporum barbaries ita deterſa, ut ſi antiquiſſima non ſuperent, eis certe æquari merito poſſint. Quare igitur in tanta optimorum Theologorum copia nullum, qui tibi faveat, in teſtimonium vocaſti? An, quemadmodum quinque priorum ſæculorum anachroniſmus parvi a te fit; ita & quinque ſæculorum nuper præteritorum teſtimonia in traditione probanda a te præteriri poſſe exiſtimas? Siquid ſapio, Traditio eſt conſtans & perpetua ſeries rerum credendarum a Religionis noſtræ exordio legitimis teſtimoniis ad noſtra uſque tempora per manus veluti deducta. Vincentius

centius quoque Lerinenſis, ut a me in poſtrema regula didiciſti, traditionem vocat, *id quod ab omnibus*, *quod ubique*, *quod ſemper traditum fuit*. Exortæ ſunt poſt motus a Luthero excitatos de Sanctis & Maria invocandis ingentes controverſiæ, & libri innumeri ea de re conſcripti. Facile itaque fuiſſet teſtimoniorum ſylvam congerere, ſi Catholicos Theologos, qui adverſus Proteſtantes pugnarunt, ſententiæ tuæ adſertores habuiſſes. Gravior quoque eorum fuiſſet auctoritas, quam ceterorum, qui in media barbarie, atque in ſumma litterarum fere omnium ignoratione, neque in ullis adverſus hæreticos libris, aut data opera hoc argumentum pertractantes, ſed in Homiliis, Sermonibus, Pſalteriis, Encomiis, Laudibus quædam in ſpeciem tibi faventia ſcripſere. Equidem neminem eſſe arbitror, qui primo intuitu non ſentiat, te cauſſæ tuæ diffidentia & teſtimoniorum paucitate atque levitate deterritum, tota quinque hæc poſtrema ſæcula ſilentio præteriiſſe. Attamen, ſi Bibliothecarum ſcrinia & pluteos paullo attentius perſcrutatus eſſes; potuiſſes haud dubio aliquos ſententiæ tuæ Patronos invenire. Nulla enim ætas inſipientibus & imperitis caret. Verum quid hi facerent ad numerum illum ingentem Catholicorum, qui uno conſenſu adverſus te & Proteſtantes, nullam ab Eccleſia Catholica de Sanctis & Maria invocandis legem agnoſci, tam ante habitum Tridentinum Concilium, quam poſt illud abſolutum, luculenter demonſtrarunt?

Legitimis itaque teſtimoniis ad lacunam hanc implendam deſtitutus quum ſis, a ſophiſmatis & captioſis cavillationibus, in quibus ætatem triviſti, præſidium petis. Omnes autem artis tuæ conatus exhauſiſſe videris, ut quod tibi propoſuiſti, ex *Matris* appellatione, omnibus fere ſæculis Mariæ tributa, conficeres. Primum ex Joannis Evangelio Mariam omnium Matrem Chriſti ore renunciatam fuiſſe, contendis. At Cyrillus & Ambroſius, quorum auctoritate uteris, ea de re ſilent. Hilarius vero in *Math. cap.* 1., & Auguſtinus *Tract.* 119. *in Joan.* ideo Joanni Mariam a Chriſto Matrem datam fuiſſe ajunt, ne, quum liberos alios non haberet, omni prorſus auxilio eſſet deſtituta. Deinde tum in Concione ipſa, tum in addita notatione *lit. P.* complura Patrum & Doctorum teſtimonia colligis, ut Mariam univerſorum & *miſericordiæ Matrem* jure merito appellari demonſtres. His ita conſtitu-

tis

tis Guerici Igniacenſis Abbatis dicto uteris, ut ex hoc titulo invocationis neceſſitatem deducas. Neque tantum decere id nos facere, ſed & naturæ & Dei lege mandante id oportere contendis. Atque huc Decalogum ipſum trahis, eo primæ tabulæ capite, quo parentibus honorem deferre jubemur. Ita autem in hoc argumento verſaris, quaſi quidam ex iis, quos alias adverſantes te experiri ais, Mariam *miſericordiæ Matrem* jure vocari negent. Ab hac quidem ſuſpicione alienum te eſſe dicis in declamatione tua. Verum in notatione *lit. P.* ingenti cum admiratione percepiſſe te ais, exſtare quosdam, qui & appellationem hanc & ipſam Antiphonam *Salve Regina* non probent. Quibus verbis, quæ in Concione paullo obſcurius & modeſtius protuleras, penitus evertis. Apertiſſime enim eos, qui a te diſſentiunt, quaſi a receptis Eccleſiæ moribus alieni ſint, inſimulas. Tritum eſt iſtud, & vobis maxime familiare armorum genus. Hæreticum enim eſſe omnino oportet, qui ſomnia veſtra tamquam leges divinitus latas non adoret. Itaque, ut ordine rem totam aggrediar, Jureconſultus quum eſſe velis, neceſſum erat ante omnia, priusquam ad publicam tamque ſolemnem accuſationem deſcenderes, cogitare te, a quo id didiceris; unde is acceperit, coramne fuerit, ubi hæc prolata ſunt; an ab aliis audiverit. Deinde qua occaſione, quibusve verbis id fuerit pronunciatum. Niſi hæc ſingula idoneis argumentis probaveris, ſcito, te in calumniatorum pœnas incidiſſe. Quod ſi narranti fidem habuiſti re ſatis mature non perpenſa; culpa non vacas, qui odio tuo in bonos illos viros nimium obſecundaveris, atque propere nimis, re ſatis non cognita, voce atque ſcriptis in vulgus emiſſis, falſos confictosque rumores confirmaveris. Etſi autem fabulæ hujus auctorem non prodas, facile eſt, quis ille fuerit, divinare. Lipſianus nimirum ille Crates eſt, cujus profanum dictum de diviſo inter Mariam & Chriſtum miſericordiæ & juſtitiæ regno, graviter a cordatis viris reprehenſum quum fuiſſet; proſiliit ille ſtatim ad calumniandum, habitaque ad populum ſeditioſa alloquutione palam conqueſtus eſt, a ſceleratis hominibus *Matris miſericordiæ* appellationem & Antiphonam *Salve Regina* planiſſime rejici. Pervaſit hujus rei fama urbem totam, neque ſegniter credulam & rudem plebeculam commovit. Tu oleum camino addidiſti, dum populi ſuſpicionem teſtimonio tuo roboraſti. Ita non calumniæ tantum, ſed &

ſedi-

ſeditionis, atque majeſtatis reus es. Decebat hoc, ſi Mariam colere videri vis, diligenter te præcavere. Quid enim juvat, Mariam etiam immodice laudare, ejusque cultum divino pæne æquare, atque novas de ea neceſſario invocanda leges condere, Eccleſiæ atque toti antiquitati ignotas: ſi tu impio atque numquam expiando auſu Dei, naturæ, & hominum leges nihili facis, atque innocuos viros, non auditos, nullis argumentis convictos, ſine ullo, niſi odii in eos tui, indice, graviſſimi criminis, edito famoſo hoc tuo libello, reos facis, atque plebem, quantum in te fuit, ſuperſtitionibus veſtris addictam, ad arma vocas? Hoc non eſt Mariam colere; reſpuit illa cultores hos, eorumque laudes. Fruſtra ſimultates atque odia tua ſacro Mariæ nomine tegis. Non ejus hic cauſſa agitur, ſed tua & tuorum. Agitur nempe de gloriola veſtra, de tyrannide, quam hactenus in litteris exercuiſtis, magno humani generis malo conſervanda. De dignitatis veſtræ gradu, ut dejiciamini, pati non vultis; ſed famam atque exiſtimationem, quam immerito ad hanc diem habuiſtis, quovis pretio, ſacroſanctis etiam quibusque legibus violatis, tueri. Itaque incaſſum laboras; fraudes dolique veſtri detecti jam ſunt, neque tibi aliud ſupereſt, niſi ut ſodalium tuorum nonneminem imiteris, qui publico ſcripto calumnias ſuas in Eruditos Juvavienſes recantare eſt coactus. Contra hos Concilium illud ex Harduini collectione a te prolatum, non pugnat. Ajacem Maſtigophorum imitaris, qui in umbras & ſpectra gladium ſtringebat. Utere his armis, non in Eruditos, qui precationem *Salve Regina* numquam damnarunt, ſed in eos, ſiqui ſunt, qui id fecerunt. Illi enim ab hoc incepto immunes omnino ſunt.

Verum, ne argumenti tui vim, quam maximam eſſe putas, declinare me velle exiſtimes: age, videamus, quanta ea ſit. Largior tibi primum Mariam haud immerito a Sanctis Patribus aliisque Doctoribus univerſorum Matrem appellari. Etenim, quum illa Chriſti Mater fuerit, Chriſtus vero, Fratrem ſe eſſe noſtrum, ipſe dicat *Matth. c.*28. *v.* 10. ſane conſequitur, eam & Matrem quoque noſtram eſſe. Præterea honoris & reverentiæ cauſſa recte Mater appellatur, fere ut majores natu, habita ætatis ratione, parentes noſtros vocamus, etſi ab iis geniti non ſimus. Debetur & hæc appellatio Virgini Deiparæ ob eximium, quo præ ceteris omnibus Sanctis nos complectitur, amorem, at-

que

que ob præſentiſſimum ejus in calamitatibus noſtris auxilium. Hæc vero licet laude & commendatione digna ſint: quis tam hebes erit, ut divinam Mariæ invocandæ legem inde conficiat? Matri enim ipſi, quæ nos revera genuit, honorem quidem debemus, nulla tamen lex eſt, quæ quidquam ab ea petere nos jubeat. Mariæ ergo, etſi neque nos genuerit, neque, ut ajunt, regeneraverit, ſed Servatoris tantum noſtri vera Mater ſit, ceterorum autem minus propria, atque ea, qua diximus ratione; maximus quidem honos eſt deferendus, quantus rei creatæ haberi poteſt, nullo tamen mandato ad aliquid ab ea petendum compellimur. Vide, quam longe impetus tui æſtu abreptus fueris, ut & Decalogi Tabulis vim inferas, quæ de honore tantum loquuntur, atque ſanas argumentorum rite conſtruendorum præceptiones, quamvis in Scholaſtico pulvere rude jam pridem donatus, neglexeris. Quibus enim ſibilis eum non exciperes, qui argumentum ita conformaret: *Mater eſt honoranda; Maria ſpiritalis Mater noſtra quum ſit, eſt itaque invocanda?* O lepidum argumenti genus, atque hactenus inauditum! Quanto verius & ſanius hac ratione conformaſſes: „ Veræ Matri, quæ nos ipſa genuit, honos debetur, atque ea ſi a filio rogetur, utile id filio futurum, & propitiam Matrem experietur. Maria autem Mater noſtra eſt certa quadam & nobiliore ratione. Quare & eadem ratione honos ei debetur, eamque ſi invocaverimus, propitiam habebimus. Ais hoc argumenti genus a te non eſſe inventum; verum Guericum Igniacenſem Abbatem ante te eodem uſum eſſe. Ego religioſus adeo veterum æſtimator non ſum, ut ſingula ab eis dicta veluti Clarii aut Delii Apollinis oracula ſuſpiciam. Faveo pio Abbatis tui in B. Virginem amori; argumenti genus non probo. Solent ſæpe, qui populum ad pietatem excitare volunt, magnificis in ſpeciem, verum plerumque minus firmis argumentis uti, quemadmodum hic tuus Guericus in ſuo *de Aſſumtione* ſermone. „ Meminiſſe oportet, inquit Sixtus Senenſis „ *lib.6. Bibliotb. Sanct. Annot.*752. quod & alibi ſæpe monui- „ mus, non eſſe concionatorum verba ſemper eo rigore acci- „ pienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt. Mul- „ ta enim declamatores per hyperbolen crebro enunciant, vel „ occaſione locorum, temporum, ac perſonarum adducti, vel „ affectuum impetu & curſu rapti, “

N Rur-

Rurſus Excelſum Principem & Archiepiſcopum Salisburgenſem in partes vocas, quem Gregorii VII. P. M. teſtimonio uſum eſſe refers, dicentis, Mariam *omni carnali matre mitiorem & promtiorem* ad nos juvandos eſſe. Id ad nos excitandos ſpectat, ut alacrius & fidentius ejus opem imploremus. Atque hic injuriam iterum facis Sapientiſſimo Principi, quem vel invitum in ſententiam tuam machinis omnibus pertrahere cupis. Aerem tamen verberas. Oſtendit non ſemel ille, quantum a vobis diſtet, tum præcipue, quum turbulentum illum circulatorem e Senatu veſtro movit, atque εἰς κόρακας, & in peſſimam malam crucem abire juſſit. Verum quo pacto divinam & naturalem legem ex hoc Gregorii dicto exculpes? Promtior quidem eſt & paratior ad opem nobis ferendam Maria, quam mater, quæ in utero nos geſtavit, quanto major eſt illius, quam ceterarum matrum amor atque ſollicitudo. Hinc majore cum fiducia ad eam accedere licet; nos tamen ad id cogi nuſquam apparet. Neque tamen, quod tam impenſe cupis, inde conficies, me, ut Maria univerſorum & *miſericordiæ Mater* non appelletur, intercedere. Numquam id mihi & Eruditis Juvavienſibus in mentem venit, nec umquam id illis excidit. Scimus Cantiones quaſdam in Eccleſia eſſe receptas, quibus Maria his titulis honeſtatur. Morem hunc Eccleſiæ non improbamus, ſed laudamus, atque ipſi ſervamus. Poſſe vero eumdem aboleri ab Eccleſia, ſi velit, & titulum illum *Matris miſericordiæ* prætermitti, cenſemus; neque tantum nobis ſumimus, ut Eccleſias quaſdam, quæ Antiphonas *Salve Regina*, *Alma Redemtoris*, aliasque hujuſmodi e libris ſuis ſuſtulerunt, impietatis damnemus. Aſſentimur itaque tibi, Mariam poſſe miſerationis Matrem vocari, honorem ei deberi, atque ſumme proficuum eſſe, eam invocare. Hoc teſtimonia, quæ adduxiſti, evincunt. Quod ſi illis alia

- - - - - - - „ mille, deinde centum,
„ Dein mille altera, dein ſecunda centum,
„ Dein uſque altera mille, deinde centum“

ſuperadderes, quibus Mariæ, ut Matri humani generis & miſeratrici honos deberi dicatur: numquam ejus invocationis neceſſitatem illis probari fatebimur. Sic ſi Cyrillum adverſus Julianum *lib. 6.* in medium attuliſſes, eo loco, quo ait: Τὸ ἀπεικὸς ὂν οὐδὲν, μᾶλλον δὲ ἦν δήπου καὶ ἀναγκαῖον, τοὺς οὕτω λαμπροῖς ἐπαυχήσαντας

κατο-

κατορθώμασι, ταῖς ἀτελευτήτοις στεφανοῦσθαι τιμαῖς. „ Quare nihil eſt „ abſurdum, *immo neceſſe erat*, eos qui tam claris facinoribus „ excelluerunt, ornari perpetuis honoribus; “ nihil id nobis obeſſe contenderem. Neceſſe enim eſſe ait, honorem Sanctis habere, non eos invocare. Quod ſi & quidam inſolentius loquantur, parum eorum auctoritate permovemur. Sic Sulpicium Severum *Epiſt. 2. de B. Martino* minus caſtigate loquutum arbitramur. Ait enim: „ Spes ſuperat illa ſola, illa poſtrema, ut quod „ per nos obtinere non poſſumus, pro nobis orante Martino me„ reamur. “ Hoc quum de ſolo Deo & Chriſto dici poſſit, perperam de Sanctis prolatum non dubitamus. Tu tamen, ſi loca hæc Polyantheæ tuæ habuiſſent, quos non ſuſtuliſſes plauſus, quasve tragœdias non egiſſes? His ego, præter ea, quæ ſæpius hiſce in *Vindiciis* Sacrarum Litterarum, Patrum, & Theologorum dicta recitavi, illud Origenis oppono *lib.* 5. *contra Celſum. cit. pag.* 239. τὸν θεὸν πρὸς πάντα ἀρκεῖν ἐπὶ πᾶσι διὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν υἱοῦ τοῦ θεοῦ „ ſufficere Deum omnibus & ad omnia per Servato„ rem noſtrum. “ Sed quod caput eſt, Paullum ipſum oppono, qui *ad Hebr. c.* 4. *v.* 16. jubet, ut „ adeamus cum fiducia ad „ thronum gratiæ, ut conſequamur miſericordiam, & gratiam „ inveniamus in auxilio opportuno. “

Atque ita, ni maxime fallor, quidquid a te ſive in oratione ipſa, ſive in notationibus, quod quidem alicujus momenti ſit, abunde me refutaſſe arbitror. Sunt minutula quædam a me conſulto prætermiſſa, quod ſtribliginis plena ſint. Verum additamentum illud, quod *Objectorum* nomine vocas, paucis eſt attingendum. Rem mihi ipſe hic indicas ſane gratiſſimam. Apparet enim, exſtitiſſe quosdam, qui ne concionem tuam ederes, apud te multis argumentis pugnaverint. Qui fuerint, non prodis. Haud multum tamen aberravero, ſi eos e Sodalibus tuis fuiſſe dixero; quum Orationem tuam a ſolo Theocrino & Eurybate, paucisve aliis obſcurioribus inter vos probatam fuiſſe ſatis conſtet. Sunt enim aliquot in φροντιστηρίῳ veſtro, quos Sycophantarum numero exemtos volo. Ab his multo meliora, quam a te & ſuperioribus illis, exſpectare poſſemus, niſi tyrannide veſtra premerentur; ille præſertim Vir Optimus, quem vos *peſſimum* per ſummam injuriam appellatis. Mihi ſingula, quæ ſaniores illi Sodales tui tibi objecerunt, nec adſtruere, nec ea, quæ illis re-

N 2 ponis,

ponis, refellere vacat. Sua illi tueantur; ego mea tuebor. Tædet jam me plus ſatis ineptiarum tuarum, atque ad finem properare cupio. Pleraque etiam ad rei caput pertinentia jam ſupra me attigiſſe arbitror, ut neceſſe non ſit jam ſemel dicta repetere.

CAPUT XII.

Phrynondæ peroratio ſub examen revocatur. Ejus errata perſtringuntur. Idem Sacri Oratoris, Orthodoxi Theologi, boni Civis, & honeſti viri nomine eſt indignus. Nullas eum niſi peſſimas litteras ſcire per ſingulas diſciplinas eundo oſtenditur. Ejus ceterorumque Sycophantarum facinora acerbiorem cenſuram promerita ſunt. Vindiciarum harum neceſſitas & utilitas. Nullum ex his Juvavienſi Univerſitati aut Civitati detrimentum infertur. Laudatur Benedictinus Ordo, & quidam Juvavienſes Monachi e Sycophantarum numero eximuntur. Hortatio ad Scholarum emendationem. Num legibus in Vindicias has uti poſſint Sycophantæ?

VEnio nunc ad egregiam illam perorationem tuam. Etenim exſultas plus ſemel veluti re præclare geſta, Comici illius militis more, qui urbes verbis inermus capit, aisque:

„ Alexandrum magnum & Agathoclem ajunt maximas
„ Duo res geſſiſſe. Quid mihi fiet tertio?

aut cum inſano illo marito exclamas: „ Ubi Sycophantæ & calumniatores ſunt?

. . . . . „ dona quid ceſſant mihi
„ Conferre omnes congratulantes, quia pugnavi fortiter?

Audiamus itaque Thraſonem noſtrum de ſe hæc prædicantem. „ His ita conſtitutis, firma mihi ſedet ſententia, ex perpetua „ hac teſtimoniorum ſerie, atque Sanctorum Patrum, qui ſæcu„ lis omnibus floruerunt, conſenſione certiſſimum argumentum „ duci, atque inde tamquam per non interruptam traditionem „ demonſtrari, manifeſtam Dei voluntatem atque legem, ut „ Mariam veneremur & invocemus." Alio vero loco: „ Ita-

„ que,

„ que, inquis, neminem mecum expoſtulaturum confido, quaſi „ juſtos limites de Maria loquutus exceſſerim, quum ſingula „ a me dicta ex Sanctis Patribus hauſerim, innumeraque alia „ adjicere poſſem." Quos tu mihi Patres, quam traditionem, quem ſæculorum omnium conſenſum prædicas? Num Patres, quos numquam legiſti? An Traditionem, quæ nota tibi non eſt? An vero ſæculorum omnium conſenſum, qui antiquitatis ſtudia nec a limine ſalutaſti? Hoccine eſt Patrum & traditionis ſcientiam tenere, ſi ex Lexicis tuis Concionatoriis loca aliquot veterum, nullo adhibito aut judicio aut examine, exſcribas? Facile utique tibi fuiſſet, quemadmodum te jactas, innumera alia Patrum loca in medium adducere; ſed & illa ponderis ejusdem, ut ea quæ protuliſti, atque eadem Maraccio ejusdemque furfuris hominibus compilatis

Φεῦ τῆς ἀνοίας, ὥς σ' ἐποικτείρω πάλαι.

Quid hoc aliud eſt, niſi credulis hominibus imponere, atque imperitorum ſimplicitate, & eorum, qui de te bene exiſtimant, opinione abuti? Ego contra non immerito affirmare poſſum, demonſtraſſe me invictis argumentis, te neque ſacri Oratoris, neque Orthodoxi Theologi, neque honeſti viri, nec boni civis officio rite functum, tum & litterarum omnium ignariſſimum eſſe. Leges enim, quas Catholica Eccleſia ſacris Oratoribus ſcripſit, plus vice ſimplici a te violatas fuiſſe demonſtravi. Etenim quum Tridentina & Salisburgenſes Synodi vetent in ſacris concionibus ſubtiliores & Scholaſticorum quæſtiones agitari, atque præcipiant, ne incerta a Sacro Oratore doceantur: tu controverſiam Scholæ potius quam templo aptam, de qua diceres, elegiſti; deinde rem non modo incertiſſimam, ſed plane falſam, tamquam veriſſimam vendicaſti. Præterea, quod D. Carolus Borromæus monet, ne verba ſua Orator in quemquam dirigat, neve eum ita deſcribat, ut facile, quem notare velit, intelligi poſſit, eſt a te penitiſſime neglectum. In Muratorium enim & Juvavienſes Eruditos concionem tuam directam fuiſſe partim fateris, partim manifeſte ſignificas; tum rei exitus, atque pernicioſi illi motus, quos illa peperit, palam fecerunt. Orthodoxi Theologi munus a te non eſſe ſervatum, illa indicant, quæ ex Baſilio, Gregorio Nazianzeno & Walenburchiis protuli, non oportere

Theo-

Theologum eſſe contentioſum, nec diſcordiarum auctorem, ſed pacis amantem; abſtinendum a nimia novandi libidine; Dialectice Ariſtotelica modice utendum; Catholicorum Scriptorum aut Doctorum opiniones haud ita facile damnandas, ſed judicium Eccleſiæ permittendum; quæ tu omnia peſſumdediſti. Rixandi enim animo concio a te habita eſt; maximæ diſcordiæ ignem conflaſti; pacem ſuſtuliſti; novas leges nobis procudiſti, ſola fretus Dialectice, contra Catholicorum omnium ſententiam, quos non obſcure in impietatis ſuſpicionem revocas. Quid vero turpius, quam eum, qui alios accuſet, ipſum graviorum longe flagitiorum reum ſe facere? Quid magis miſerandum, quam quum alios traditionem docere te velle profitearis, in ea probanda ſuccumbere, atque tot inſcitiæ tuæ argumenta præbere? Juvat paucis errata hæc tua perſtringere. Sedeamus ad calculos, atque ſingula Eccleſiæ ſæcula percurramus.

Εἰ δὲ μὴ καλῶς λέγω, σὺ νίκα.

Primo ſæculo duo Joannis loca ex Evangelio & Apocalypſi, atque Dionyſium Areopagitam in ſuffragium vocas. Joannes, ut a me didiciſti, tibi non favet. Pſeudo-Dionyſii ſcripta ad ſæculum hoc non pertinent. Altero & tertio ſæculo Irenæi, Tertulliani, & Origenis teſtimoniis uteris. Quæ horum genuina ſententia ſit explicavi; tum Origenis Homilias *ex diverſis* ſuppoſititias eſſe dixi. Ad eundem cenſum referuntur loca Athanaſii, Epiphanii, & Hieronymi, adeo ut nullus e quarti ſæculi Patribus rite a te ſit productus. Eadem eſt tua infelicitas circa quintum, ubi ſermonem tantum *de Sanctis* Auguſtini nomine recitas, qui ejus non eſt. Andreas Cretenſis, quem tu ad ſextum ſæculum refers, ad octavum pertinet. Ita ex ſex iſtis ſæculis, quæ ab omnibus in probanda traditione præcipua habentur, quartum, quintum, & ſextum plane prætериiſti, quum ſuppoſiticia tantum ſcripta in medium adduxeris. Nec majus tibi in tribus prioribus præſidium, quum nihil ad rem faciens inde attuleris, quin & Dionyſii atque Origenis non ſincera ſcripta adhibueris. Septimum quoque ſæculum leviter a te attingitur, ſolo Gregorii ſermone, ſuppoſititio illo, *de Annunciatione* prolato. Quommodo vero octavum tibi favere

vere probas? Martini primi locus mutilus, nec a te intellectus adducitur. Ego integrum dedi, & ex fontibus ipſis, qua de re ille egerit, te docui. Deinde more tuo ſermonem de *Aſſumtione* Ildephonſo falſo tribuis, atque ſermonem *de Zona* Germano CP., qui tamen ad ſæculum XIII. ſpectat. Ubi autem ad nonum tranſitum facis, ridiculus es, quum *Menœa* & Orationem *de B. Virgine* Damaſceno adſcribis; tum & Idiota ille tuus nihil cum hoc ſæculo commune habet, ſed totis quingentis annis eſt poſterior. Deinde ad ſcripta ſequentium ſæculorum rite interpretanda Canones quosdam poſui, ex quibus Odilonis locum, qui ad decimum ſæculum ſpectat, explicavi. In undecimi traditione probanda rurſus ſuccumbis, quum ſermonem *de Nativitate* Petro Damiani, & librum *de Excellentiis B. V.* Anſelmo tribuis. Nec melius duodecimum tibi ſuccedit, ubi quo pacto Bernardus ſit explicandus differui. In decimi tertii ſæculi Scriptoribus traditionis probandæ finem facis. Ego nec inſequuta ſæcula omitti poſſe dixi, & quæ ſæculi illius, quo Albertus M., Bonaventura, & Thomas vixere, ſit auctoritas, quave ratione eorum loca ſint intelligenda, quod ſatis eſt, monui. Itaque ex his quoque ſæculis, in quibus opes tuæ ſitæ ſunt, ſeptimum, octavum, nonum, & undecimum transvolas, quum ſuppoſititia tantum opera commemores, aut a te mutilata, vel non intellecta. Sola itaque tibi ſupereſt Monachorum aliquot, qui X. XII. & XIII. ſæculis ſcripſere, quibus Orthodoxorum placita oppoſui, atque inconcuſſas circa veterum auctoritatem regulas. Itaque, ſi boni Theologi eſt, qui ad traditionem provocat, eam rite probare: peſſimis haud dubio Theologis es annumerandus, qui tam turpiter lapſus fueris in ea demonſtranda. Infinitus in hoc genere ſim, ſi ſingula perſequar,

„ Labori faber ut deſit, non fabro labor.“

Verum licet hactenus dicta de neglecto a te ſacri Oratoris & Orthodoxi Theologi munere ſatis gravia ſint; tolerabiliora illa utique eſſent, ſi ſaltem honeſti viri & boni civis officio eſſes defunctus. At vir honeſtus ille non eſt, qui probos & innocuos homines ſuſpicione circa religionem per calumniam gravat, quod a te eſt factum, quum fabellam a Cratete confictam teſtimo-

ſtimonio tuo comprobaſti, atque Eruditos Juvavienſes tamquam res novas in Eccleſia molientes ſæpiſſime es inſectatus. Feciſti vero rem boni civis officio adverſantem, quum edita in vulgus concione tua ſeditionem Juvavii pæne excitaſti; poſtquam vero ne ejus exempla diſtraherentur, optimus Princeps juſſiſſet, quum tu conjuratione cum Sycophantis aliis inita tot turbis, totque motibus in ipſum Principem anſam dediſti. Tumultuum enim auctores ii ipſi erant, qui pro concione tua pugnabant, tibique amiciſſimi ſunt, Theocrinus atque Eurybates, qui Antiſthenis, Cratetis, & *πτωχοπλουσίων* opera populum ita irritaſtis, ut parum abſuerit, quin ſuperſtitioſa plebecula arma in Principem & Eruditos arripuerit. Hæc certe nullis expianda ſuppliciis mihi videntur. Sed poſtremum illud, quod de te dixi, quodque leviuſculum mihi videtur, minime ferendum reputabis: te nimirum litterarum omnium eſſe ignariſſimum. Ego tam facile id me demonſtrare poſſe confido, quam facile vulpes pirum comeſt. Eamus per diſciplinas ſingulas, atque initium a Grammatice & politioribus litteris faciamus. Has, quum aperte contemnas, mirum non eſt, ignoraſſe te, voces illas *invocandos* & *debere* legem & neceſſitatem perpetuo haud ſignificare. In Hiſtoria hoſpitem te eſſe oſtendis, quum Gregorium M., Ildephonſum, & Damaſcenum Benedictinos fuiſſe ais, & qua occaſione verba illa Martini I. prolata fuerint, non es aſſequutus. Veterum Platonicorum & Stoicorum placita, quod non teneas, facile veniam tibi do. Etenim *τί κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ*; Sed quod nec vulgaris Dialecticæ regulas ſervaveris, illud eſt omnino pudendum, deliciæ tuæ quum ſint. Exemplum hujus rei habes, ubi de Tridentinæ Synodi interpretatione & *Matris* appellatione egiſti. Perquam etiam inficetus es in Phyſicis, quum aſtra & planetas poteſtatem in nos habere ais. Si primæ Philoſophiæ, quam Metaphyſicam dicitis, imperitum te eſſe dejeravero, non credes. Quod ſi cogites, quæ de aſcenſu ad Deum occaſione Thomæ Aquinatis egi, amplius non reluctaberis. Nunc, quid Chronologiam, quid Criticen memorem, quum tot fere in concione tua adverſus has peccata ſint, quot litterarum elementa? Vidiſti paullo ante ingentes quingentorum annorum anachroniſmos, & tot ſuppoſititia ſcripta tamquam genuina ad traditionem probandam a te adhibita. Exiſtimabis fortaſſis te

in

in rerum divinarum ſcientia ſapientiorem eſſe. Erras, Phrynonda, ubique tui ſimilis es. Indulgentior etiam tecum aliquanto fuiſſem, etſi diſciplinæ omnes intime inter ſe connexæ ſint, ſi profanas ſolas ignorares, ſacras autem perſpectas haberes. Sed quam earum partem non temeraſti? Num Hermeneuticen, ſive Scripturarum interpretationem; num Dogmaticen, atque Patriſticam, ut vocant, Theologiam; num demum Polemicen, aut ſaniorem Scholaſticen? Tu ne, qui Scripturæ loca in alienum ſenſum detorques; qui Patrum ſcita numquam attigiſti; qui leges omnes de eorum uſu violaſti: qui Proteſtantium ſcripta & opiniones non noſti; poſtremo qui formidandum illud recentiorum Theologorum agmen, quod contra te ſtat, aut ignoraſti, aut neglexiſti? Quommodo autem Jureconſultum, ſeu Themidos atque juſtitiæ Sacerdotem te eſſe profiteberis, qui accuſatione tam male inſtructa, in calumniatorum pœnas incideris? Quommodo jus, æquum, & bonum, alios docebis, qui juſti, æqui, & boni leges omnes ipſe violaſti? Vides itaque nunc,

- - - - - - *εἰ μὴ λημᾷς κολοκύνταις*,

tum inſipientiam, tum improbitatem tuam, & quam recte Juvavienſes Eruditi de te ceteriſque Sycophantis pronunciaverint, minime aptos vos eſſe argumentis illis, quæ ab antiquitate & critica arte pendent, pertractandis. Vides quoque, quanta injuria in Eruditos illos & Muratorium Germaniam totam commoveritis. Fer itaque æquo animo cenſuram hanc, acerbiorem licet. Etenim ſi prior viva voce & ſcriptis Eruditos provocaſti; ſi ubi interdictum ab optimo Principe eſt, ne concionis tuæ exempla divenderentur, vox illa tua audita eſt, non arbitratum te eſſe, ut Principis auctoritate, verum argumentis concio tua impeteretur: quid frontem modo contrahis, quid excandeſcis, quum non Magiſtratuum edictis, ſed ſcriptis audaciæ tuæ obviam itur? Sed & illud a te pronunciatum fertur: non diffiteri te, homo quum ſis, aliquid fortaſſe a te eſſe peccatum; verum, quidquid illud demum ſit, bono animo a te actum, *Ῥόδα μ' εἴρηκας*. At oportebat hominem, *ὧδε ἐωθισμένον*, antequam in arenam deſcenderes, tantoſque motus cieres, non odio & furori tuo indulgere, ſed cauſſæ juſtitiam expendere, atque vires tuas, num argumento, num Muratorio & Eruditis pares eſſent,

Digitized by Google

experiri. Stultorum & puerorum illa eſt excuſatio, *non putabam*. Verum in litterariis concertationibus a convitiis & injuriis abſtinendum dices. Novi & laudo; doleo vero id ipſum a te numquam eſſe ſervatum. Ajo itaque, non poſſe te hoc jure agere, qui nec Principi, nec tot Nobiliſſimis aliisque Eruditis viris peperceris. Non ſi mihi ferrea vox, non ſi ora centum eſſent, calumnias & probra a te in illos jactata æquare poſſem. Gravis & acerba quantumvis tibi videatur cenſura mea, longiſſime erit tamen illa infra contumelias & mendacia veſtra, quibus ſi conferatur, juſto modeſtior eſſe invenietur. Deinde & illud animadvertas velim, quod ſub libelli initium monui, tanta eſſe, tamque gravia maledicta veſtra, ut nullo alio pacto, niſi tua ceterorumque Sycophantarum impudentia detecta, Principis, totius civitatis, totque honeſtiſſimorum virorum famam vindicare liceret. Æquum igitur erat, ut ſceleribus veſtris juſta defenſio opponeretur.

Τὰ δ' ἔργα τὺς λόγυς ἐλέγχεται.

Ne vero tecum uno rem mihi eſſe exiſtimes, aut culpæ cum aliis communis ſolum te pœnas luere; pauca & de Sycophantis ceteris adjiciam. Contendo ergo, non ſacinorum tantum tuorum illos reos eſſe, ſed & longe graviorum, quæ nulla flumina, nulla maria ſatis umquam eluere poterunt. Quid fulgurito illo Eurybate improbius? Quid verſipelli Theocrino ſceleroſius? Quid Antiſthene & Cratete impudentius? Quid *πτωχοπλουσίοις* veſtris ignavius? Quæ jura non peſſumdata, quæ leges non conculcatæ? Quidquid magis ſacrum aut ſanctum inter homines eſt, a vobis eſt profanatum. Spreta Principis Majeſtas; publica tranquillitas ſublata; præſtantium virorum fama lacerata; novæ leges, nova dogmata Dei & Eccleſiæ nomine conficta; imperitorum animi dubitationibus circa religionem ad deſperationem fere adacti; ſacrum ipſum Evangelicum munus odio & cauſſæ veſtræ ſervire coactum; R. Eccleſiæ gloria obſcurata; religio noſtra Proteſtantium ludibriis expoſita. Atque hæc omnia quo demum jure, quave & quam gravi de cauſſa? Quod homines publicorum commodorum ſtudioſi litterarum inſtaurationem urgerent, vos doctiſſimos eſſe non crederent. Cælum igitur terræ erat miſcendum, res publica ipſa Juvavienſis funditus evertenda,

da,

da, ne quidquam de vetere exiſtimatione veſtra amitteretis: Non meis, ſed Gregorii Nazianzeni verbis vos alloquar *Orat.* 26. & 33. „ Quæ hæc eſt, quæ vos invaſit certandi libido; quis „ morbus iſte; quæve inexplebilis rixandi cupiditas? Cur gra- „ ve & acerbum vobis videtur, ſi in omni diſputatione non do- „ minemini, primamque ſedem obtineatis, aut alii vobis do- „ ctiores habeantur? Quaſi neceſſe eſſet, arma hoſtibus doman- „ dis aptiora in nos ipſos convertere; alios mutuo ab aliis op- „ primi, & furentium ritu in membra noſtra ſævire. Quin „ ne hoc quidem ſentitis, ſed majorem ex hoc malo, quam „ alii ex pace & concordia voluptatem capitis; calamitatem „ ipſam lucro ducitis, atque per everſionem noſtram obſe- „ quium Deo præſtari exiſtimatis. Turpe profecto eſt, ait „ idem Nazianzenus, veſtitu & vitæ inſtituto tolerantiam, a- „ nimi demiſſionem, ceteraſque virtutes præſeferre: in diſpu- „ tationibus autem principatum & tyrannidem ſibi vendicare, „ nec cuiquam omnino cedere, verum ſuper omnes excellere „ velle. Si docti eſſetis, præſtaret utique manſuetudinem & „ animi æquitatem ſectari, atque potius conſultò cedere, quam „ quum ineruditi ſitis, temere atque impudenter vos altius ef- „ ferre." Id ſi antehac ignoraſtis; didiciſtis hodie Phrynon- dæ veſtri exemplo edocti, qui quum doctiſſimus veſtrum paſſim habeatur, auſuſque ſit in virum innocentiſſimum, atque in lit- teris abſolutiſſimum Ludovicum Antonium Muratorium, & E- ruditos alios æque innoxios e ſacro loco declamare, tot imperi- tiæ ſuæ argumenta orbi univerſo dedit. Inſontes itaque ſunt, mihi credite, Juvavienſes Eruditi; iniquiſſime illi tot calum- niis a vobis impetiti; proba eorum, Muratorii, & optimi Prin- cipis religio. Unum illis deerat, ut in æquiores minuſque con- tumaces homines inciderent, juxta Heſiodi illud ἔργ. καὶ ἡμέρ. v. 344.

Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.

Diſcere & audire, & melioribus credere non vultis. Ægre vobis eſt, quod ſi ſcholarum barbaries loco pelleretur, quum hactenus Doctorum numero habiti ſitis, aliis inſtituendos vos tradere oporteat. Neque id immerito, ſi Nazianzeno mo-

nenti parere vultis. Τάξις γὰρ οὐκ ἀρίστη διδάσκειν πρότερον, εἶτα μανθάνειν, μὴ ὅτι τὰ θεῖα καὶ τηλικαῦτα τὸ μέγεθος, ἀλλ' οὐδὲ ἄλλό τι τῶν μικρῶν καὶ τοῦ μηδενὸς ἀξίων. „Pravus, inquit *Orat.* 32., „ ordo eſt, docere prius quam diſcere, non divina tantum, „ eaque tam ſublimia, ſed & quidvis aliud ex minimis, „ nulliusque pretii. “ Nihil juvat, vos eſſe Doctores, Magiſtros, Baccalaureos, Magnificos, Clariſſimos, Excellentiſſimos, Conſultiſſimosque. Πίθηκος γὰρ ὁ πίθηκος, κἂν χρύσια ἔχῃ σύμβολα. Homines non ex inanibus titulis, ſed ex virtute & ſapientia ſunt æſtimandi. Apud vos nihil Doctoribus plenius, nihil ſolida doctrina inanius. Doctores, non ſevero adhibito judicio, ſed more & conſuetudine fiunt. Donec itaque hominibus his juventutis arbitrium dabitur; donec in vulgi opinione regnabunt; donec ii Doctores a nobis habebuntur, qui nullis bonarum litterarum præſidiis ſunt inſtructi; qui nil niſi rixandi, & de apinis tricisque litigandi artem norunt; qui Eruditum eſſe æque ac indoctum putant: neque Eccleſia, neque Reſpublica bene & proſpere ſe habebunt. Quid enim utilitatis ab iis percipiemus, qui Doctores quum ſint, nec elementa vere ſapientiæ didicerunt? Quommodo juventutem, quæ ipſi ignorant, docebunt? Eloquentiæ & humanitatis ſtudia tum plurimum ſuavitatis in vita habere, tum ad rempublicam accedentibus perquam eſſe utilia nemo dubitat. Quam ergo eloquentiam, quas humanitatis litteras diſcent in ſcholis adoleſcentes, ubi lutum omnia & rus merum ſpirant? Ubi non ad veterum exemplaria digitus intenditur, ſed e lacunis, turbidisque fontibus latinitas hauritur; Græcæ vero litteræ penitus negliguntur. Dialecticen & diſſerendi artem maximum in omni vitæ genere uſum habere fatentur omnes. Exerit illa mentis aciem; dux nobis eſt ac veluti fax ad veritatem inquirendam; rectam regiamque viam nobis monſtrat, qua ingrediamur, vetatque, ne qua in transverſum agamur. Judicandi vim & acumen perficit; aſſenſionem aliquando ſuſtinere jubet, nec quidquam, niſi bene perceptum, affirmare. Hancne in Scholis deprehendi exiſtimatis? Non hæc ſane, ſed garrula illa, inquies, contentioſa, importuna, quæ juvenum animos pudore omni exuit, rite judicandi poteſtatem omnem tollit, atque inani

ſcien-

ſcientiæ opinione, & inſatiabili rixandi libidine implet. Quid memorem nobiliſſimam illam Philoſophiæ partem, quæ rerum naturam perſcrutatur, hominum animos ſuperſtitione liberat, ad Deum adducit, & commoda innumera reipublicæ præſtat? Præter nudum nomen nihil hujus in Scholis invenietis. Cetera tenebris, barbarie, nugis, & ſomniis ſcatent & ſquallent. Scholarum enim Phyſice non ex diuturna naturæ obſervatione eſt exorta, ſed veluti olim Minerva e Jovis, ita hæc e delirorum hominum cerebro. Fuit omni ævo univerſorum ſententia, Hiſtoriæ utilitatem latiſſime patere, & ad diſciplinas omnes porrigi. Ludus illa in Scholis & jocus habetur tempori fallendo. Si quidpiam ex Hiſtoria confirmare velis; nihili id ducunt; argumentis Dialecticis non *factis* pugnandum clamant. Nec injuria id faciunt. Neceſſe enim eſt eos Hiſtoriarum ſtudia contemnere, qui in Hiſtoria plane peregrini ſunt, atque ſentiunt, ea ſola ad judicandum de Scholaſticorum opinionibus admiſſa, Doctores omnes e Scholarum regno furcillis ejectum iri. In divinarum vero rerum Scientia, etſi in ea mirifice ſe ſapere videri velint, infantes plane ſunt. Quis enim mihi Theologus habebitur, qui in Sacris litteris ſit imperitus, veterum Patrum ſcripta, Conciliorum, & Pontificum decreta, rerum in Eccleſia geſtarum notitiam ne a limine quidem ſalutarit? Hæc quum ita ſint, nihil Eccleſiæ, nihil Reipublicæ gravius eſſe contendo inutili & noxia hac Doctorum ineruditorum turba, in quam ſiquis adoleſcens incidat bonam mentem a natura fortitus, tantum abeſt, ut ad ſapientiam perveniat, ut & naturæ ipſius dona amittat atque corrumpat. Juvat novam huic rei lucem addere, ut, quæ hactenus dicta ſunt, plenius percipiatis. Quis judicio veſtro ſapientior habebitur; illene Alexandrinus Clemens, atque Origenes; qui veterum Poetarum, Oratorum, & Philoſophorum ſcripta omnia evolverant, diſciplinas omnes norant, linguarum etiam complurium notitiam ſibi comparaverant: an Doctores noſtri, qui nulla, niſi gregalium ſuorum ſcripta legunt, diſciplinas pleraſque negligunt, nullamque niſi barbaram linguam norunt? Quis in conflictu hoc diſcedet ſuperior? Baſiliusne, Nazianzenus, atque Chryſoſtomus, qui tantam eloquentiæ operam dederunt, qui Grammaticen, & Poeticen adamarunt,

Ari-

Ariſtotelis vero Dialecticen angue pejus oderunt? An indocti Scholarum Doctores, qui Eloquentiam, Poeticen, & Grammaticen puerorum ſtudia eſſe putant, easque a ſcriptis ſuis perpetuo abeſſe juſſerunt; Logicen vero Ariſtotelica longe ſpinoſiorem diſciplinarum omnium regnum tenere voluerunt? Num Gregorio M. aut Bernardo pares eſſe dicetis, quorum tanta in ſacris litteris ſcrutandis diligentia, tanta in diſputando modeſtia, tantumque in profanas Arabum diſciplinas odium erat? Superi me eradicent, ſi eodem loco concludam, & promiſcue habeam fortiſſimos illos heroas, & pecudes has ignaviſſimas.

Quid vobis videtur? Satin' placet παῤῥησία hæc? Vidiſtis opinor apud Lamindum Pritanium, laxandos eſſe aliquando frenos ingenio, neque id anguſtis nimium limitibus circumſcribendum. Modum quoque eſſe quemdam inter effrenem libertatem, & duris compedibus conſtrictam ſervitutem. Hoc arripuit cupide Phrynondas veſter, & ſuo Muratorium & Eruditos telo proſternere ſe poſſe putavit. Itaque ut impetum in utrosque fecerit, ut odio ſuo habenas laxaverit, abunde ſupra eſt demonſtratum. Neque his contenti, miſſis undequaque litteris, atque finitimas ipſi Provincias pervagati, quidquid rabies, quidquid excæcatus furiis animus ſuggerebat, in Principem & Eruditos evomuiſtis. Hac libertate, neque hac etiam, ſed minore longe uſum hodie me eſſe ſi fatear, defenſionis, ut plus ſemel monui, neceſſitate; quis diem mihi juremerito dicere poterit? At Univerſitatis nomini & gloriæ eſt parcendum, ne ea in contemtum adducta, Juvavienſes Scholæ deſertæ fiant, & ceſſante juventutis frequentia civitati ipſi Juvavienſi calamitas inferatur. O vos miſeros, Sycophantæ, qui quum flagitia veſtra in propatulo eſſe, atque vos undique arctiſſime teneri ſentiatis, quum ea nec fateri nec emendare velitis; nihil vobis ſupereſſe, niſi ut illa ſilentio & tenebris tegantur, judicatis! An Civitatis illius commoda, quam calumniis & mendaciis veſtris pæne perdidiſtis, ut juſtam facinorum veſtrorum cenſuram evitetis, inſtrumentum evadent? Quæ vobis nova reipublicæ Juvavienſis cura? quæ Scholarum frequentiæ? Per ſacra omnia vos rogo; unde ſolitudo hæc in Scholis veſtris, quæ præ oculis eſt? Unde, quam jam videtis, juventutis infrequentia? Divinabant nimi-

mirum homines, *Vindicias* has eſſe aliquando edendas. Itaque cælitus, ut puto, moniti, & præſagio quodam compulſi liberos ſuos Juvavium, iis licet nondum editis, non miſere. Sycophantiæ illæ veſtræ & calumniæ, mendacia illa de *Liberis Murariis*, de *nova hæreſi*, de *Mariæ cultu ſublato*, quæ vos ipſi per Germaniam totam quam diligentiſſime & quam latiſſime amplificaſtis, hæc ſunt, quæ vaſtitatem Scholis veſtris, civitati vero Juvavienſi infrequentiam intulerunt. Tanta enim ſtultitia veſtra eſt, ut quum vos fabulæ hujus commento Eruditis tantum incommodare velletis, fraude, ut fere fit, in auctores ipſos recidente, rem exitialem Scholis veſtris feceritis. Quis enim niſi mente motus liberos ſuos in eam civitatem ſtudiorum cauſſa mitteret, quam ipſi Univerſitatis Doctores impietatis lue contaminatam prædicarent? Vultis itaque, ut Scholæ veſtræ refloreant, ſuaque Juvavio frequentia reddatur? Sinite me hiſce Vindiciis populos Germaniæ omnes docere, nullam hic eſſe impietatem, nullos eſſe *Murarios*, niſi ſcelere veſtro confictos. Sinite me optimi Principis famam tueri, Nobiliſſimorum virorum innocentiam palam facere, Eruditorum hominum injurias, quas a vobis perpeſſi ſunt, enarrare. Tunc *Murarii*, veluti Comicus ille Diapontius, evaneſcent; nulla Juvavii comparebit impietas; orthodoxa erit civitas; Princeps religionis ſtudioſiſſimus; ceteri omnes innocui. Reddatur ſuus Principi, Juvavio, & Eruditis honos; & ſuus quoque ſplendor ſcholis veſtris redibit. Verum audire mihi videor vos regerentes: fruſtra me laborare, ut ſuſpicionem de impietate Juvavienſi diluam, ſi accuſatio hæc de imperitia & Sycophantia veſtra ubique perveniat. Neque enim tam inſanos futuros adoleſcentes, ut ab imperitis & flagitioſis Doctoribus erudiri velint. Quare communi Juvavienſium civium & Scholarum bono aliquid dandum, atque huic paucorum hominum commoda poſthabenda. Parcius etiam de vobis agere me oportuiſſe, neque tam acerbe vos inſectari, odiumque meum in D. Benedicti Ordinem moderari. Videte nunc quibus laqueis conſtrictos vos fateamini. Idem enim id eſt, atque dicere, ea eſſe facinora veſtra, ut niſi eorum vobis gratia fiat, etiam cum Principis & ceterorum famæ jactura, tum vobis tum civitati ipſi fere ſit pereundum. Etenim unde inanis il-

la

la de Murariis opinio niſi a vobis eſt exorta? Hæc niſi tollatur, actum eſt de Univerſitate veſtra. Ea vero ſtirpitus evelli non poteſt, niſi peſſimis artificiis veſtris, & in litteris ſtupore detectis. Fingite itaque, ſi ita lubet, Vindicias has in lucem numquam fuiſſe emiſſas; urbem tamen ubique impietatis infamia laborare. Num adoleſcentes turmatim tunc adventuros exiſtimatis? Intuemini, quo ſtatu, antequam hæ edantur, Scholæ veſtræ ſint; cogitate, quæ ſit circa vos ſolitudo, quantum de vetere frequentia remiſſum jam ſit. Hæc ſane *Vindiciis* non debentur. Etſi vero, ut cetera omnia, impudentiſſimum ſit, quod petitis, ut cauſſa veſtra Principis ipſius nomen a calumniis non vindicetur: eſto, libellus hic lucem non aſpiciat; nihil tamen commodi in Civitatem derivabitis. Nemo enim aut pauciſſimi liberos ſuos in impia Urbe inſtitui volent. Sive ergo taceam, ſive loquar, neceſſe eſt, ut vaſtitas & ſolitudo Juvavii & circum vos fiat. Vertite vos in omnem partem; exitum nullum reperietis. Hac urget lupus, hac canis. Si taceam, quod vigente, quam propagaſtis, de Murariis opinione, nullus ſacram & diris devotam urbem ſit acceſſurus. Si vero loquar, quod liberos ſuos Sycophantis inſtituendos nemo committet. Hæc eſt inexplicabilis illa rerum perturbatio, in quam vos ipſos, & immerentem urbem conjeciſtis. At vos de communi civitatis exitio parum ſolliciti eſtis. Pereat commune Reipublicæ bonum, dum ſalva ſit exiſtimatio veſtra. Quid hæretis? quid fluctuatis? Edicite; aperte, quod ſentitis, eloquimini. Potior vobis eſt, ſi verum fateri vultis, famæ veſtræ cura, quam Principis; Nobiliſſimos viros & Eruditos infamia laborare, quam vos præoptatis. Juvavienſium civium perniciem, dum veſtra in tuto ſint, flocci non facitis. Vel ſi hæc invidioſius a me excogitari cauſſamini; proferte, quæſo, quæ huic morbo medicina ſit adhibenda. Ego ſane, ſi veritas ab homine prolata, quem vobis inimicum immerito putatis, inviſa non eſt; non facile modo parabilem, ſed & paratam illam jam habeo. Prodeant Vindiciæ hæ, & litteratorum hominum manibus terantur. Æquum eſt, ut optimi & Sapientiſſimi Principis honori, tum & aliorum innocentiæ conſulatur. Quod libellus a paucis legetur, nihil inde vobis immi-

net

net incommodi. Eruditis fortaſſe ingratus non erit, quibus inſcitia veſtra jam pridem perſpecta eſt. Qui vobis ſimiles ſunt, aut hæc non legent, aut non intelligent. Deinde opinio de ſapientia & virtute veſtra tam altas radices apud multitudinem egit, ut ſi centum libelli alii a me in vos, tamquam jacula quædam, emittantur, vix illi ſummam cutem veſtram læſuri ſint. Adeo devota vobis plebs eſt, ejusque cæcitate adeo undique circumſepti eſtis. Quod ſi populorum ſimplicitate abuti non vultis; ſi honeſti & decori cura aliqua vobis adhuc ſupereſt; ſi boni conſilii gutta vobis eſt in pectore: imitamini Europæ univerſæ exemplum; emendate Scholas veſtras; barbariem omnem inde eliminate. Nolite in media luce oculos vobis eruere, aut data opera cæcutire. Quæ enim hæc eſt pervicacia, aut quis furor, poſtquam trium pæne ſæculorum labore, & tot doctiſſimorum hominum induſtria diſciplinæ omnes repurgatæ, atque ad eum fere apicem, quem humanæ res patiuntur, perductæ ſunt: tot oblata vobis bona, atque in medio poſita faſtidioſe reſpuere, atque in veteri cœno volutari? Quoniam autem in hunc locum incidi, facere non poſſum, quin beata illa tempora in memoriam revocem, quibus, quum Catholicæ in Germania Univerſitates doctiſſimis & in omni litteratura excultiſſimis viris abundarent, Eccleſiæ atque Reipublicæ & maximo ornamento, & firmiſſimo præſidio fuerunt. Ubi illi Turriani, Caniſii, Gretſeri? Ubi Raderi, Pontani, Schotti? Ubi Zwichemi, Giphanii, Beſoldi? Ubi demum Clavii, Scheineri, atque Kircheri? Nihil itaque mirum, quum litterarum genus pæne omne apud nos ita interierit, ut ſcelus ſit velle eas ad vitam denuo revocare; ſi Romanæ quidem Eccleſiæ amicis miſerationi, hoſtibus vero ludibrio atque contemtui effecti ſimus. Nos ergo ſoli inter Orthodoxos Germani, cum pauciſſimis aliis ad extremas Europæ plagas conſtitutis, ut priſca gens mortalium, glandibus ventrem implere volemus, dum, non dicam Proteſtantes, ſed Itali & Galli, & Roma ipſa, atque Sapientiſſimus idemque Litteratiſſimus Pontifex Max. BENEDICTUS XIV. ſolidiores nobis cibos præbent? Non utar peregrinis exemplis; domeſtica vobis proponam. Oculos jam e gravi ſomno attollite ad Dacherios, Mabillonios, Rui-

 nartos,

partos, Montfauconios, Calmetos, & Ceillierios, ingentia illa Benedictini Ordinis lumina. Caſſinenſem, D. Juſtinæ aliasque Sodalitates contemplamini. Portias, Quirinos, Bachinos, Grandios, Galeanos conſiderate, unde tantus in Eccleſiam redit ſplendor, tantus in Benedictinos, tantus in Italiam ipſam. Gotwicenſem Præſulem ampliſſimum eumque eruditiſſimum; Pezios fratres celeberrimos, & de Ordine veſtro quam optime meritos; Hergottium denique ad hanc diem in Germania veſtra viventes circumſpicite. Horum vos exempla ſectari, horum facta atque doctrinam, virtutesque æmulari decet. Momento temporis fiet, ut ſi quid *Vindiciæ* meæ incommodi vobis attulerint, Juvavienſium Scholarum emendationis fama innoteſcente, quidquid illud eſt, diſpareat, & Univerſitatis veſtræ gloria tantisper intermortua reviviſcat.

Qua igitur fronte dicetis, me Benedictinorum Ordinis hoſtem? Ego ſanctiſſimum & vetuſtiſſimum inſtitutum oderim, cui tantum Eccleſia, tantum litteræ debent? Unde ſuperiore potiſſimum & noſtro hoc ſæculo tot doctiſſimi homines prodiere, ut vix plures ex ulla alia orthodoxorum Sodalitate? Quorum ego in rem litterariam merita ſatis me extollere non poſſe fateor? Quorum ſcripta omnibus, & vobis præſertim ipſis, commendare non deſino? Si rem ex æquo æſtimare velimus, videor equidem mihi Benedictino Ordini longe quam vos eſſe amicior. Vos enim Gallorum & Italorum, ſint licet maxima ornamenta veſtra, nec ſcripta nec facta probatis. Illi ſiquidem Criticam Artem, & Antiquitates perquam ſtudioſe excolunt. Eorum itaque auctoritate, quum adverſus Phrynondam diſputavi, libenter uſus ſum. Hos quum vos non ſolum imitari, ſed & tueri deceret; quum eos tamen impiorum & imperitorum numero habeatis: ſuccedo ego operæ veſtræ vicarius, & Benedictinorum honori Juvavii conſulo, atque communem Eruditorum omnium cauſſam in me ſuſcipio. Spes autem mihi eſt, deſituros vos mecum & cum Eruditis pugnare, ne ſi hoc feceritis, arma in ipſos Sodales veſtros, & potiſſimam nobiliſſimamque Ordinis veſtri partem infanda ratione convertatis. Sed quo pacto hoſtem me eſſe Univerſitatis veſtræ, aut me ei male cupere, famamve illius carpere velle evincetis: quum noverim, complures

plures in ea eſſe Viros ſane doctos & probos, qui & Phrynondæ orationi adverſati ſunt, & Theocrini, Eurybatisque geſta numquam probarunt? Nova igitur erit calumnia, ſi me toti Univerſitati malè dicere jactabitis. Quod enim ſub Vindiciarum harum exordium, pluribusque aliis locis ſæpe dixi, nullum Ordinem univerſum aut Collegium me inſectari, ſed paucos tantum eosque degeneres perſequi, id hoc loco potiſſimum rurſus dictum volo. Niſi ſi forte eo impudentiæ & inſaniæ perveniſtis, ut, totam Univerſitatem in vobis ſolis ſitam eſſe, videri velitis.

Quod ſi vos nulla R. Eccleſiæ, nulla rei publicæ Juvavienſis ſalutis cura tenet; ſi nec Europæ totius exemplum, nec majorum & æqualium veſtrum facta commovent; ſi nec gloriæ ſpes vos demulcet, nec laudis deſiderium titillat: excitare ſaltem deberent tot in vos ubique jactata convicia, tot ab Eruditis infixi aculei. Nimium in me eſſetis malevoli, ſi unum me eſſe exiſtimaretis, qui ſtudiorum veſtrorum rationem non probem. Proteſtantes mitto, atque in his virum celeberrimum C. A. Heumannum, qui *Act. Philoſoph. tom.* 2. *p.* 290. & *tom.* 3. *p.* 48. Schmirianam Dialecticen, atque univerſam barbariem veſtram, falſe, ut par erat, deridet. Quantos non ediſtis clamores, quum Vir lectiſſimus Raymundus Cecchetus luculentam illam ſuam in Harrachii funere orationem Romæ edidit? Expreſſa utique in ea vivis coloribus eſt inſcitia veſtra. Itaque ſi in extremas fere Germaniæ & Italiæ partes non doctrinæ, ſed ſtuporis veſtri fama jam pridem pervenit: cur mihi id ſoli tribuetis? Cur me velut infamiæ veſtræ auctorem deſignabitis? Credite mihi: nullus eſt, quaquaverſum patet litteratus Orbis, niſi ex Hippocratis filiis, qui tolerabilem de vobis opinionem habeat. Judicium, quod de vobis tuli, mihi cum innumeris aliis commune eſt. Nulli, niſi craſſiſſimæ ignaviæ veſtræ nomine, noti eſtis. Hoc ſi pernegabitis; denuncio vobis, maximam Eruditorum manum auxilio mihi venturam. Nam multo plures ſumus. Hæc, de his, quæ diſſerui, teſtimonium pro me perhibebit. Gravis eſt autem, quam in vos exerceo, cenſura & jecur vobis jam bile turget? Sycophantias rurſus & calumnias meditamini? Ignem πρὸς χαλκὸν,

gladio ne fodite. Numquam turba veſtra nobis par erit, nec loco umquam cedemus. Etenim,

- - - „ fragili quærens illidere dentem,
„ Offendet ſolido."

Non ignoro difficillimum apparere hominibus, qui doctos ſe eſſe credunt, ad prima uſque elementa deſcendere. Mirum & monſtroſum initio vobis videbitur, vos non eſſe doctos. Sed mirari deſinetis, ſi patientem aurem accommodabitis. Hoc diſcite a Lucretio de R. N. *lib.* 2. *v.* 1025. *& ſeqq.* dum ait:

„ Sed neque tam facilis res ulla eſt, quin ea primum
„ Difficilis magis ad credendum conſtet: itemque
„ Nil adeo magnum, nec tam mirabile quidquam
„ Principio, quod non minuant mirarier omnes
„ Paullatim."

Mirabatur olim Anacharſis Scytha apud Lucianum *περὶ γυμνασίων*, quum in Gymnaſium a Solone eſſet deductus, corporis exercitationes ab Athenienſium juventute uſurpatas; lutari alios; alios diſco & pila ludere; alios pancratio & ceſtibus certare. Hæc barbaro ſupervacua & ſtulta videbantur. Aderat ejus lateri Solon, qui, quænam earum eſſet utilitas, demonſtrabat. Verum tot hodie eſſent Anacharſes, quot litterati homines rationem, qua juventus a vobis inſtituitur, conſpicerent. Quis vero e vobis Solon ille eſſet, qui ea, quæ a vobis geruntur, tueri commode poſſet? Quid igitur cunctamini? Sapere audete; incipite. Nolite, donec defluat amnis, expectare. Ne ſitis omnino moleſti litteratis hominibus, majorem ne vobis exhibeant moleſtiam. Sapientum potius monita in rem veſtram convertite. Expeditiſſima eſt, inquit Plato *Socrat. Apol.*, cenſores eludendi ratio, ſi quæ cenſura digna ſunt, ultro ipſe emendes. Optimum quidem eſt, ſi monitore non egeas. Humanum vero & laudandum, ſi, quæ ipſe ignoras, ab aliis diſcere te non pudeat. Turpiſſimum autem omnium, nec quæ recta ſunt, ſcire, nec vera monenti auſcultare. Hinc illud Heſiodi *ἐργ. καὶ ἡμέρ. v.* 291. *& ſeqq.*

Οὗτος

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει,
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ὃς δέ κε μήθ' αὐτὸς νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὅδ' αὖτ' ἀχρήιος ἀνήρ.

Alius autem multo plura ſe inimicis, quam amicis debere profitebatur. Illos enim obtrectando, ut melior evaderet, effeciſſe. Cur autem modo, ne Juvavienſes Eruditi quidquam in lucem edant, tam anxie laboratis? Quid vobis doctiſſimis timendum ab indoctis hominibus, quibus toties, quod nihil ſcriberent, convicium feciſtis; quos ipſi toties ad ſcribendum provocaſtis? Cur hodie, quum ad ſua divulganda parati ſunt, ne illa edantur, tot machinas admovetis? Cur potentiorum favorem, ne illis hoc liceat, captatis? Cur & leges ipſas in eos armatis? Quod ſi & ad leges provocatis; ſponſorem vobis do C. Trebatium Teſtam, Juris olim Conſultiſſimum, non forenſem de vulgo rabulam quemdam aut legulejum, ſed illum C. Cæſaris & M. Ciceronis amicitia atque laudibus clariſſimum. Hujus judicium ubi vobis protulero, manum de tabula tollam, atque ſpes mihi eſt, neminem futurum, qui tanto viro repugnare velit. Fuerat huic cum Q. Horatio Flacco amica olim diſceptatio, eſtque illa ab ipſo Flacco 2. *Serm.* 1. perquam eleganter deſcripta. Volebat Trebatius a Satyris ſcribendis Horatium avocare. Quum pluribus id ſuadere tentaſſet, legum tandem metum ita injicit:

„ Si mala condiderit in quem quis carmina; jus eſt
„ Judiciumque."

Non declinat Horatius legum auctoritatem. Verum, quum plura eſſe ſoleant legum capita, & quædam, quæ in vita eveniunt, iis non comprehenſa, ita rurſus quærit:

. . . . „ ſed bona ſiquis
„ Judice condiderit laudatus CÆSARE? ſiquis
„ Opprobriis dignum latraverit, integer ipſe?

Addo

Addo ego, ſiquis laceſſitus, calumniis impetitus, graviſſimam injuriam Principi & toti reipublicæ illatam propulſet ? Quid reponit Trebatius ? Accipite reſponſum ſummi Jureconſulti, & litigandi finem mecum facite :

SOLVENTVR RISV TABVLÆ, TV MISSVS ABIBIS.

SYLLOGE
TESTIMONIORUM
E X
Catholicorum Scriptis.

Digitized by Google

ADMONITIO
AD LECTOREM.

I*Ngratus ſim erga amicos, alioſque doctos Viros, ſi hoc loco debitum eorum induſtriæ teſtimonium non præbeam. Sylloge enim hæc eorum potiſſimum opera eſt a me congeſta. Viſum eſt & leviorum & vulgarium Scriptorum auctoritatem adhibere, ut ſentiant Sycophantæ, non* Criticos *ſolos adverſus fictitiam illam legem pugnare. Si eos, qui invocutionem præceptam eſſe negant,* moraliter *tamen, ut ajunt,* neceſſariam *putant, recenſere voluiſſem, Syllabum hunc auctiorem utique reddere potuiſſem. Verum mihi cum illis nihil commune. Sunt & alii, ut Bellarminus & Eſtius, & cum iis plerique Catholicorum, qui nullam legis, nullam neceſſitatis mentionem injiciunt. Id Phrynondæ & aliorum Sycophantiis prodendis ſatis atque abunde multis videri poſſet. Ego, quum cernam, rem mihi eſſe cum hominibus impudentiſſimis, qui & de rebus perſpicuis diſputare non dubitent, his omnibus prætermiſſis, ea tantum loca in medium protuli, quæ conceptis verbis legem & neceſſitatem hanc exſtare omnino negant. Plura fortaſſis, ſi otium & major librorum copia eſſet, congeri potuiſſent. Sed & hæc, quæ collegi, teſtimonia tum numero, tum omnis ordinis, & nationis hominum præſtantia tanta ſunt, ut ſanus non ſit, qui plura deſideret. Hinc diſcere poterit Phrynondas noſter, verumne ſit, quod in notationibus ad Orationem illam ſuam affirmavit, Catholicos Scriptores, qui ei adverſantur, nullo rei hujus inſtituto examine, obiter tantum loqui, & molli brachio argumentum hoc attingere. Quod vero plerique rem hanc paucis abſolverint, illud in cauſſa fuit, quod ſcirent, neminem fere Catholicorum ea de re dubitare, atque ineptum ducerent, in re certa operoſe ſtabilienda multum laborare. Præ ceteris commemorandum mihi videtur teſtimonium, Joannis Chryſoſtomi Trombelli, Viri ampliſſimi, & Canonicorum Regularium Bononiæ Abbatis, qui ſuperioribus menſibus edita operis ſui de* Cultu Sanctorum *priore parte, nobiſcum aperte ſentit, etſi liber ejus tum Inquiſitionis Cenſuram ſubierit, tum Summo ipſi Pontifici Benedicto XIV.*

Digitized by Google

ſit inſcriptus. Quomodo itaque id, quod in Italia orthodoxum habetur, a Sycophantis Juvavii tamquam impium traducitur? Moneo ſimul, Alexandri Alenſis locum, quem in Vindiciis *recitavi, debere me amici cujusdam diligentiæ. Neque enim alienis plumis exornari mihi mos eſt. Ceterum & multa ipſe videram, antequam in Scriptorum horum aliorumque loca incidiſſem. Poſtea vero deprehendi, eadem quæ a me & ab illis quoque obſervata fuiſſe, præſertim a Petavio* lib. 14. de Incarn. cap. 18. n. 5. *& ab Huetio* Origenian. lib. 2. q. 5. n. 36. *Loca reliqua, quæ dudum ab aliis tamquam ſolemnia & argumento huic peculiaria producta ſunt, omittenda mihi non cenſui, ea ſolum de cauſſa, quod ab iis ante me occupata fuiſſent. Unum adhuc monendum ſupereſt, prodiiſſe nuper Commentarium in Davidis Pſalmos, cujus Auctor Phrynondæ cauſſam rurſus agere atque in ſe ſuſcipere auſus eſt. Liber inſcriptus eſt Archiepiſcopo Salisburgenſi ante exortas has controverſias, & a ſolo Eurybate menſe Aprili ſuperioris anni probatus. Concionem tamen, quæ Julio eſt habita, aperte tuetur. Gratiam ita refert Auctor pro ſua humanitate Excelſo Principi, qui qualecumque opuſculum illud ſub ſuo nomine prodire eſt paſſus. Minatur præterea, ſe in ſequuturis tomis accurate pro Phrynonda verba facturum. Huic duo denunciamus. Primum, ne Principum indulgentia abutatur neve tam inverecunde cum iis agere ſuſtineat; alterum ut ab incepto deſiſtat, ne Erudito Orbi & nobis inſcitiæ ſuæ riſum & pœnas debeat. Hæc te, Lector, reſcire volebam, & bene agere.*

SYL-

SYLLOGE
AUCTORUM CATHOLICORUM.
CLASSIS PRIMA
Eorum, qui Latine ſcripſerunt.

1. JACOBUS MASENIUS de Concordia *part.* 1. *tr.* 1. *cap.* 6. *p.* 45.
2. HADRIANUS & PETRUS de Walenburch *Tract. ſpeciali* de controv. Fid. *tom.* 2. *tract.* 4. *pag.* 205. 213. & 232.
3. GEORGIUS CASSANDER Conſultatione de Articul. Relig. *Art.* 21.
4. NATALIS ALEXANDER *in* Hiſt. Eccl. *ad Sæcul.* V. *diſſert.* 25. *art.* 2.
5. LAURENTIUS BEYERLINCK *in* Theatro V. *Sanctus.*
6. FRANCISCUS SUAREZ *in* Defenſione *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 14. *fol.* 97.
7. BECANUS *in* Manuali controv. *pag.* 195.
8. VITUS PICHLER S. J. *in* Curſu Theol. Polem. *pag.* 498. *n.* 7.
9. ALBERTUS ZENNERUS Ord. Præd. *in* Armamentario *pag.* 92.
10. COPPENSTEINIUS Ord. Præd. *in* Nuclei appendicula de cultu Sanctorum *part.* 7. *pag.* 747.
11. KILIANUS KAZENBERGER *in* Columna & Firmamento veritatis *pag.* 824.
12. MAX. GANDOLPH. Aichinger *in* Differt. Theolog. de cultu B. M. V. *pag.* 83.
13. GERVASIUS BRISACENSIS *in* Curſu Theolog. *Tom.* 2. *pag.* 194.
14. DOMINICUS BANNES *in* 2. *queſt.* 1. *art.* 10.
15. FRANCISCUS POUGET Inſtit. Chriſt. *part.* 3. *Sect.* 2. *cap.* 2. §. 3.
16. CATHOLICI THEOLOGI apud Seckendorffium Hiſt. Luther. *lib.* 2. §. 68. *n.* 6.
17. LUDOVICUS HABERTUS *tom.* 2. *Theol. dogm. tract.* de Incarn. Append. de cultu & invocat. SS.
18. JOANNES PONTAS *in* Dictionar. Caſ. Conſcient. *t.* 2. *V. oratio caſ.* 5.
19. JOANNES BAPTISTA du HAMEL Theol. Speoul. *tom.* 2. *de Praeceptis Decal. lib.* 1. *diſſert.* 2. *cap.* 3. *n.* 6.
20. HOFFMEISTERUS Ord. Præd. *apud Chemnitium* Exam. Conc. Trid. *Part.* 3. *pag.* 295.
21. AUGUSTINUS REDING. Benedictinus *in* Inextincta Conc. Trid. Verit. *Tom.* 5 *tract.* 12. *ſeſſ.* 2. *pag.* 61. & 65.
22. ANT. LAMPRIDIUS *lib. de* Superſtitione vitanda *cap.* . . .
23. J. CHRYSOSTOMUS TROMBELLI, De Cultu Sanct. *p.* 1. *t.* 1. *diſſ.* 1. *c.* 4. §. 7.
24. JO. VIGUERIUS *in* Inſtit. ad Chriſt. Theol. *cap.* 5. §. 5. *v.* 8.
25. DIONYSIUS PETAVIUS S. J. Theol. Dogm. *Tom.* 6. *l.* 14. *de Inc. cap.* 18. *n.* 5.

CLASSIS II.

Eorum, qui Germanice ſcripſerunt.

1. JOANNES BAPTISTA KRAUS *in* Obſervationibus ad explicat. Doctr. Chriſt. Boſſueti *pag.* 50.
2. LAMBERTUS a MOSBURG *in* Fidei lumine *p.* 318.
3. NICOLAUS ELFFEN *in* Homine ſimplici & recto *p.* 395.
4. HERMANNUS KLEPPE *in* Cathechiſmo Cath. *p.* 137.
5. JOANNES FERLER *in* Lumine & umbra *part.* 1. *pag.* 80.
   IDEM *in* Explicat. Profeſs. fid. *p.* 32. *in appendice*.
6. AUCTOR LIBELLI, cui titulus Lumen in tenebris *p.* 91.
7. CATECHISMUS minor juſſu Epiſcopi Montispeſſulani *p.* 64.
8. GEYERUS, Parochus Urbis Paſſavienſis, in Catholica domeſtica Poſtilla *pag.* 653.
9. MICHAEL PAVER *in* Explicatione Cath. Veritatis *p.* 44.
10. JOANNES SCHEFFER *in* Eccleſiologia Tract. 18. *p.* 480. *&* *part.* 2. *tract.* 32. *p.* 105.
11. FRANC. SEBAST. NONHARDT. *in* Concionibus de Controverſiis *pag.* 499. *&* 500.

CLASSIS III.

Eorum, qui Gallice ſcripſerunt.

1. MESSIRE ESPRIT FLECHIER dans la *Preface* du tome 1. des ſes Panegyriques.
2. MESSIRE BOSSUET dans l'expoſition de la doctrine de l'Egliſe Catholique *p.* 29.
3. Mr. FONTAINE Hiſtoire de Port-roïal *tom.* 2. *p.* 243. ou plûtôt la Faculté de Sorbonne.

CLASSIS IV.

Eorum, qui Italice ſcripſerunt.

1. CARD. GOTTI nella Vera Chieſa *t.* 2. *art.* 14. §. 1. *p.* 325. dell' *Ediz. di Mil.*
2. LUD. ANT. MURATORI negli Eſercizj Spirit. *p.* 417. *Ediz. di Venezia.*

CLAS-

CLASSIS I.

Eorum, qui Latine ſcripſerunt.

JACOBUS MASENIUS S. J. de *Concordia part. 1. lib. 1. cap. 6. pag.* 45. Exemplo Sanctorum, *non præcepto ullo*, invitati, recte Jacobum ſequimur, qui poſt Deum, ſuum Angelum tutelarem invocavit &c. & *part. 2. lib. 1. art. 21. de Invocat. SS.* §. 2. *Libera tamen hæc pietas eſt, conſulitur, non præcipitur, ſuadetur exemplis, non imperio.*

ADRIANUS & PETRUS de Walenburch *Tract. ſpeciali de controverſiis fidei Tomo 2. Tractatu 4. pag.* 205.

Notandum 1. dici in Concilio, bonum atque utile eſſe &c. Nec enim Concilium in Sanctorum invocatione, aut ſequentibus divini præcepti agnoſcit *neceſſitatem*.

Notandum 2. Concilium non determinare, Sanctorum cultum, Reliquiarum honorem, aut venerationem imaginum eſſe cultum religioſum duliæ, obſervantiæ, aut relativum. Item, eadem veneratione, ſive eodem actu, an vero diſtincto honorari prototypon, & imaginem. Item, imagines, aut Reliquias Sanctorum adorandas. Item, venerandas imagines per ſe, aut per accidens, veneratione vel adoratione analogica, ſecundaria, &c. Hæc enim & ſimilia diſputantur a Scholaſticis Theologis, fideique doctrinæ non tantum non obeſſe, ſed potius eidem non parum ſubinde prodeſſe poſſunt. Conducit interim noviſſe, *illa non eſſe fide catholica, ab omnibus fidelibus tenenda.*

Ex hac ſola obſervatione plurimæ ſolvuntur quæſtiones, quas Proteſtantes inani conatu ubique ingeminant. V. G. An Sancti honorari, aut invocari debeant per actus Religioſos? An id fieri debeat per actus virtutis religionis elicitos, aut imperatos? & aliæ ſimiles. Neutra enim ex prædictis fide catholica definitur: neque Eccleſia determinavit, bonum atque utile eſſe, iſtis modis Sanctos invocare.

Ergo neque Crocius, neque Kuchnæus, neque quilibet alius Proteſtans, quicquam ad rem profert, accuſans Eccleſiam Catholicam idololatriæ ex honore Sanctorum religioſo, atque in eo fundans cauſſam ſeparationis.

Et *pag.* 213. Not. *non eſſe de fide cath. quod Sancti ſint mediatores noſtri.* Hoc certum, quod ſicut Proteſtantes, cum poſtulant interceſſionem vivorum, non conſtituunt plures mediatores, præter Chriſtum Jeſum; ita Catholicos non conſtituere plures mediatores, rogantes interceſſionem SS. cum Deo regnantium. Chriſtus Jeſus ſe ipſum dedit redemtionem pro nobis, & ſic indubie *ſolus mediator eſt.* Quid vero impedit, quo minus illud nomen *latius* accipiatur pro omni eo, qui nobis in vita ſpirituali adjutorio eſt, qualis eſt ſive Sanctus in cælo, ſive fidelis in terra aliorum utilitati ſuis orationibus patrocinans. Num quia Scriptura ignorat mediatorem interceſſionis, ut loquitur Crocius? Sed poterat ex

S. Ba-

S. Baſilio didiciſſe, vocem *mediator* Moyſi in S. Scriptura tribui. Num quia tam cogniti ſunt S. Scripturæ ſecundarii mediatores, quam ſecundarii Dii creatores mundi, ut loquitur idem Crocius? Sed rurſum poterat didiciſſe ex S. Dionyſio Areop. nomen Dei in S. Scriptura hominibus quandoque tribui, etiamſi non dicantur Creatores mundi. Idem poterat didiciſſe ex S. Juſtino Martyre Dialog. cum Triph. *Bibl. SS. Pat. tom.* 2. *pag.* 33. H. Immo S. Dionyſius ipſum docet, quando fideles fiant Dii, & Deorum filii, & Deorum Patres. *De divin. nomin. cap.* 2. *pag.* 140. *F. &* 141. *D.* Si ergo nomen Dei, juxta S. Scripturam non negatur hominibus; male ſupponit Crocius, ex hac negatione, nec nomen mediatoris hominibus eſſe concedendum. Interim dimiſſa de nomine inutili quæſtione, *nec profeſſio fidei noſtræ*, *nec Concil. Trid. Sanctos nobis commendat*, *ſive ut mediatores interceſſionis*, *ſive ut Secundarios mediatores*. Porro qua ratione Chriſtus ſit mediator, pulchre more ſuo deduxit Pineda in Job. *Tom.* 1. *pag.* 446. n. 7. uti & in antecedentibus, ac ſequentibus.

Et *pag.* 232. Convenit. 3. *Nullum exſtare præceptum ſive mandatum divinum*, *aut Eccleſiaſticum*, *quo obligentur omnes fideles invocare Sanctos una cum Chriſto regnantes*. Hinc non male Georgius Caſſander: Non igitur hæc, quæ de interpellationibus Sanctorum dicuntur, eo pertinent, ut ſimpliciter horum interpellatio ad ſalutem neceſſaria putetur (notum eſt enim illud Chryſoſtomi: ceterum non opus eſt tibi patronis ad Deum &c. Sed licet ſolus ſis, patronoque careas, omnino tamen voti compos eris) ſed ne temere univerſam Chriſti Eccleſiam damnemus, quæ hujusmodi interpellationem, tam regnantium, quam peregrinantium Sanctorum, utiles eſſe Eccleſiæ judicavit. Item ut ne ſuperbe hujusmodi Sanctorum preces rejiciamus & aſpernemur. Quare idem Chryſoſtomus &c. Et poſtea: Et illud verum eſt, apud Deum non opus eſſe mediatoribus præter unum mediatorem Chriſtum &c. Non itaque invocatio Sanctorum ad ſalutem eſt neceſsaria.

GEORGIUS CASSANDER *Conſultatione de articulis Religionis inter Catholicos & Proteſtantes controverſis. art.* 21. *de Cultu Sanctorum.* Non igitur hæc, quæ de interpellatione Sanctorum dicuntur, eo pertinent, ut ſimpliciter horum interpellatio ad ſalutem neceſsaria putetur (notum eſt enim illud Chryſoſtomi: ceterum non opus tibi patronis apud Deum &c. Sed licet ſolus ſis patronoque careas, omnino tamen voti compos eris) ſed ut ne temere univerſam Chriſti Eccleſiam damnemus, quæ hujusmodi interpellationem, tam regnantium quam peregrinantium Sanctorum, utiles eſse Eccleſiæ judicavit. Item, ut ne ſuperbe hujusmodi Sanctorum preces rejiciamus & aſpernemur. Quare idem Chryſoſtomus, cum præpoſteram in Sanctorum precibus fiduciam reprehendiſset, recte alibi monet. His itaque cognitis, inquit, nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illos projiciamus, ſed oremus, ut etiam pro nobis precentur. In hac itaque,

que, quam diximus, ſententia, veteres omnes fuiſse apparet, neque ullum ex iis invenias, qui hujusmodi interpellationem reprehendat: Quod enim Auguſtinus, inquit, Ad quod Sacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen a Sacerdote, qui ſacrificat, invocantur, de ea invocatione loquitur, quæ Deo propria eſt. Invocatur enim Deus ad Sacrificium, cum nominatim illi Sacrificium dedicatur, & ut illud acceptum habeat, & ſanctificet, invocatur, hunc ſenſum alibi exponit, cum ait *de civit. Dei lib.* 8. *cap. ultim.* Quis audivit aliquando fidelium, ſtantem Sacerdotem ad altare etiam ſupra corpus Martyris, ad Dei honorem eultumque conſtructum, dicere in precibus: Offero tibi Sacrificium Petre vel Paule, vel Cypriane? Alioquin idem Auguſtinus teſtis eſt, in illa ſolemni prece ſuo loco & ordine martyres, recitari, non quidem ut pro nobis orentur, *tract.* 84. *in Joannem*, ſed ut orent ipſi pro nobis.

NATALIS ALEXANDER Dominicanus *diſſert.* 25. *ad Sæculum* 5. *in Hiſtoria Eccleſ. art.* 2. Non eſt etiam quæſtio, utrum mandato divino fideles ad Sanctorum cum Chriſto regnantium invocationem teneantur, quo ſpectant illa S. Joan. Chryſoſtomi verba: Non opus eſt tibi patronis ad Deum &c. immo *nec ullum Eccleſiæ præceptum eſt*, *ſingulos Chriſtianos* ad invocationem Sanctorum adſtringens. In hoc igitur dumtaxat verſatur controverſiæ cardo inter orthodoxos & Proteſtantes cum Vigilantio delirantes, utrum Angelorum & Sanctorum hominum cum Chriſto regnantium invocatio *licita ſit ac utilis*.

LAURENTIUS BEYERLINGK in Theatro, *Verbo*. *Sanctus*. fol. 87. Catholicorum ſententia & uſus ſemper fuit, præter honorem, quem Sanctis impendere conſueverunt, eorum patrocinium apud Deum adhibere, ut qui melius & efficacius impetrare valeant, quam nos ipſi. Numquam autem Catholici quidquam a Sanctis poſtularunt, tamquam ab Auctoribus divinorum beneficiorum, *neque docuerunt umquam*, *neceſſariam eſſe ad Salutem conſequendam Sanctorum invocationem*, ſed valde utilem & piam.

FRANCISCUS SUAREZ S. J. *in Defenſione lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 14. *fol.* 97. *de invocatione Sanctorum*. Ex his ergo tandem ita concludimus, orare & invocare Sanctos cum Chriſto regnantes nec ex natura rei malum eſſe, neque etiam prohibitum, eſſe ſubinde omnino bonum & licitum . . . . . Unde licet Eccleſia *non omnibus præcipiat* orare Sanctos, *præcipit* tamen, *omnes* de invocatione Sanctorum recte ſentire, & *omnibus* hujusmodi orationem *conſulit*, & aliquibus miniſtris ſuis interdum hanc orationem præcipit, inſtituendo peculiarem modum & ritum orandi Sanctos in divinis & publicis Officiis, quem Sacerdotes & miniſtri Eccleſiæ obſervare tenentur. Eſt ergo ex omni capite Sancta & religioſa hujusmodi oratio.

BECANUS S. J. *in Manuali controv.* pag. 195. An ideo non liceat invocare Sanctos, quia non habemus

mus de hac re præceptum divinum? Sic ſentiunt multi ex Adverſariis &c. Sed errant. Nam multa ſunt, quæ legitime & laudabiliter fieri poſſunt, & tamen a Deo *præcepta non ſunt &c.*

VITUS PICHLER S. J. *in Curſu Theol. Polem. univ. pag.* 498. *num.* 7. Sciendum 6. Catholicos *non aſſerere, quod detur præceptum* poſitive vel directe obligans ad colendos & invocandos Sanctos, ſed ſolum quod liceat colere & invocare.

ALBERTUS ZENNERUS Dominicanus in *Armamentario pag.* 92. Adeoque licet non exſtet *præceptum Eccleſiaſticum de invocandis Sanctis*, nulli tamen Catholico licet Sanctorum invocationi contradicere tamquam rei malæ vel divinitus prohibitæ.

COPPENSTEINIUS Dominicanus in *Nuclei Appendicula de cultu Sanctorum part.* 7. *pag.* 747. Tertio cum privatim orat quis, ſive domi hoc agat, ſive in Templo, ut Publicanus ille *Luc.* 19. aut alibi, nulli ulla Catholica lex aut neceſſitas imponitur, ut Sanctos invocet: ſed ſolum, nullo Sanctorum adhibito precatore, affari & invocare Deum poteſt. Quin vero ſiquis omnibus neceſſario invocandos Sanctos pertinaciter doceret, non aliter *hæreſeos damnaretur*, quam qui res alioqui bonas ſed adiaphoras omnibus ad ſalutem neceſſarias contenderet &c.

KILIANUS KAZENBERGER Franciſcanus *in Columna & firmamento Veritatis*. *pag.* 824. Urgent: Nullum exſtat in S. Scriptura mandatum de invocatione Sanctorum: ergo licite non invocantur. Reſp. neg. conſeq. nam etiam alia multa laudabiliter, licite & Sancte fiunt, & tamen a Deo *præcepta non ſunt*, ut ſervare Virginitatem, dare omnia pauperibus.

MAXIMILIANUS GANDOLPHUS AICHINGER Auguſtinianus in *diſſert. Theolog. de cultu B. V. M. pag.* 83. Hinc bene infert S. Pater (ſcilicet Ambroſius illis verbis: *ad Deum autem . . . . promerendum ſuffragatore non opus eſt* &c.) ad hoc, ut ad Deum ipſum perveniam, nullo opus eſt interceſſore & ſuffragatore, quod etiam dicunt omnes catholici, qui interceſſionem Sanctorum & eorum invocationem non adſtruunt eſſe neceſſariam; cum immediate ipſum Deum oratione accedere poſſimus, ſed ſolum valde utilem & proficuam in ordine ad impetrandum effectum noſtræ orationis. & *pag.* 85. Nullo enim *præcepto* opus eſt, neque Eccleſia Catholica docet; invocationem B. V. eſſe *præceptam*, ſed illam eſſe maxime utilem & proficuam, ut conſtat ex Trid. Seſſ. 25.

GERVASIUS BRISACENSIS Capuccinus *in Curſu Theolog. Tomul.* 2. *pag.* 194. Neque etiam obſtat, quod cultus & invocatio Sanctorum non præcipiatur in Script. Nam jejunium Eliæ, Moyſis, Judith, Chriſti, vivorum invocatio, innumeraque alia *non præcipiuntur* in Script. & tamen ſunt Deo gratiſſima &c.

DOMINICUS BANNES Dominicanus *in* 2. *quæſt.* 1. *art.* 10. Neque *expreſſe* neque *involute* Scripturæ

ræ docent, orationes ad Sanctos eſſe faciendas.

FRANCISCUS POUGET *Inſt.Cath. part. 3. Sect. 2. cap. 2. §. 3.* Mediadiatoris nomen abſolute ſumtum ſoli Chriſto competit; ipſe enim unus nos redemit ſanguine ſuo. Si quando vocantur Sancti mediatores noſtri; *improprie ſic appellantur*, & eo ſolum ſenſu, quod intercedant pro nobis, ut diximus, ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Licet *poſſimus Chriſtum ipſum nemine mediante adire*, ut patet tum ex eo Apoſtoli teſtimonio, quod protuliſti, tum ex quotidianis Eccleſiæ orationibus, quæ ad Chriſtum diriguntur: tamen utiliſſimum eſſe invocare Sanctos &c.

CATHOLICI THEOLOGI apud Seckendorff *Hiſt. Lutheran. lib. 2.* §.68. *num. 6.* In articulis de invocatione Sanctorum addere debuiſſet Meimburgius, *utramque partem agnoviſſe, invocationem Sanctorum non eſſe mandatam in Scripturis*, id quod Melanthon urget, ad autographum Vehi Cancellarii Badenſis provocans, & relationem Pontificiorum eatenus corrigit.

LUDOVICUS HABERTUS *tom. 2. Theol. dogm. & mor. in tract. de Incarn. append. de cult. & invoc. Sanct. 3.* ubi quærens, an & quomodo orandi ſint Sancti? ait: Reſpondeo primo: invocatio Sanctorum neceſſaria non eſt, ſive neceſſitate medii ſive neceſſitate præcepti divini aut Eccleſiaſtici, ſaltem quoad omnes. Prima pars probatur tum ex dictis *cap. 1.* contra Gnoſticos, qui definiebant, Angelos eſſe adminiſtratores univerſi, & non niſi per eos acceſſum patere ad Deum, tum ex Sanctis Patribus, qui paſſim docent, ad Deum promerendum ſuffragatore opus non eſſe, ſed pura mente, quemadmodum ad Regem terrenum per tribunos acceditur. Ita auctor *Comment. in Epiſt. ad Romanos apud Sanct. Ambroſium*, & Sanctus Chryſoſtomus *Homil. de profectu Evangelii*. Secunda pars, quæ eſt de neceſſitate præcepti, probatur, quia neque in Scriptura, neque in traditione exſtat ullum præceptum invocandi Sanctos, nec aliud a fidelibus exigit Concilium Tridentinum, quam ut credant, *Sanctos una cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare Seſſ.* 25. Dixi *ſaltem quoad omnes*; propter eos, qui ad horas Canonicas tenentur, in quibus invocantur Sancti, raro tamen. Nam in hujusmodi publicis precibus orationes, quæ Collectæ dicuntur, ſemper ad Deum diriguntur, & ceteræ officii partes continent vel Laudes Dei vel Sanctorum Hiſtorias. Nedum ergo cultus, quem Eccleſia Romana tribuit Sanctis, mentes a Deo avocat; quin contra in illum erigit atque inflammat. Controvertitur itaque ſolum Catholicos inter & novatores, utrum liceat invocare Sanctos. Heterodoxi contendunt hujusmodi invocationem pugnare cum verbo Dei, adverſarique honori unius Mediatoris Dei & hominum Jeſu Chriſti, & omnino eſſe ſuperſtitionem. Contra hunc errorem ad propoſitam quæſtionem reſpondeo ſecundo: Honeſtum & utile eſt, Sanctos in Cælis regnantes invocare. Ita

R defi-

definit Concilium Tridentinum Seſſion. 25. &c.

JOANNES PONTAS Eccleſia. *in Dictionar. caſ. conſc. t. 2. V. oratio caſ.* 5., Theorianus Miniſter converſus videtur quaſdam retinuiſſe reliquias Calviniſmi, quem ſincere ejuravit. Ratio, qua id conjicitur, eſt, quia numquam preces effundit ad Beatam Virginem nec ad Sanctos, ſed ſemper ad Deum per Jeſum Chriſtum. Confeſſario, qui ſcrupulum injecerat, reſpondit, ſe arbitrari non neceſſario invocandos Sanctos, ut obtineat peccatorum remiſſionem & gratias, quibus egebat, ſed ſolum Deum. Interim, ſi injungeret per pœnitentiam fundere preces ad Beatam Virginem aut Sanctos, ſe præſto facturum præſcripto ſatis.

Quæritur de ea re, num Theorianus non ſit in errore & praxi damnanda, & quid facto opus Confeſſario? Ad difficultatem, de qua agitur, tuto reſpondere licet, poſitis duabus veritatibus confeſſis, ac a Sacra Theologiæ Pariſienſi Facultate ſtatutis in prima parte articulorum doctrinæ, quos jam in lucem edidit. En verba prioris (art. 55.) *Bonum eſt ac utile invocare Matrem Dei & Sanctos in Cœlo cum Jeſu Chriſto regnantes, tamquam interceſſores apud Deum meritis Jeſu Chriſti. Damnari nequit hæc invocatio ſine errore: Deiparam & Sanctos in Cœlis cum Chriſto regnantes invocare tamquam interceſſores apud Deum per merita Chriſti bonum & utile eſt. Nec ejusmodi invocatio ſine errore damnari poteſt.* En verba quibus poſterior concipitur (art. 56.) *Colimus Sanctos, illisque hunc amoris & ſocietatis cultum, quem fratribus noſtris, quorum ſuſpicimus Sanctitatem, exhibemus. Sed eo majori confugimus pietate, quotutius eos adeamus poſt victorias relatas. Sanctos honoramus & colimus eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo in hac vita coluntur Sancti homines Dei, ſed illos tanto devotius, quanto ſecurius poſt certamina ſuperata.* His duabus veritatibus poſitis tamquam indubiis reſpondentes ad quæſtionem propoſitam de Theoriano dicimus, *quamvis de neceſſitate ſalutis non ſit neceſſe invocare Sanctos:* Attamen bonum eſſe ac utile eos invocare: nec poſſe hanc invocationem damnari ſine errore &c. Reliqua dirimendarum controverſiarum de fide peritis permittimus, & dicimus, Theorianum, ſi ſincere imbuatur ſententia, quam modo expoſuimus, nec uſum invocandorum Sanctorum pro errore habeat, ut evincit diſpoſitio quam præſefert ad eos effundendi orationes, quum ei præſcribetur, *a Confeſſario ſuo non eſſe vexandum hac de re.*

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, ſive ANTONIUS LAMPRIDIUS in libello de *ſuperſtitione vitanda Capite* 2. Obnoxia exceſſibus eſt ipſa pietas, niſi doctrinam Eccleſiæ Catholicæ diligenter præ oculis habeat. Dogma Catholicum eſt, juſtum & laudabilem eſſe honorem Sanctis exhibitum, & quum fert occaſio, cultum eis impendere jubemur, quod negare crimen foret; cultum, inquam, duliæ beatis illis Dei Servis, & Hyperduliæ Sanctiſſimæ Virgini parenti Salvatoris noſtri. Eorum quoque implorare operam & interceſſionem apud Deum & *bonum & utile*, ut decernit Sacro-

croſanĉta Synodus Tridentina.Quapropter laudanda devotio & pietas erga illos, ſuadenda quoque omnibus eorum invocatio. Nam, ſi vel piorum viventium precibus nos commendare & licet & prodeſt; quanto plus licebit & proderit præſidium apud Deum petere ab iis, qui ad illius aulam jam adſciti, ejus gratia & beneficentia mirum in modum fruuntur, & quam caritatem in terris coluerunt, longe uberius in Cælo exerunt? Maxime vero & amore & veneratione digna Beatiſſima Redemtoris noſtri Mater, quam gratia novimus plenam, & cui *magna fecit*, *qui potens eſt*, ut divina Scriptura teſtatur. Mater Dei eſt; quale majus elogium proferas? Et in amanda & honoranda illa quis e Chriſti fidelibus non certet? Eam quoque orare fideli affectu, ut pro nobis Deum exoret, utiliſſimum & decentiſſimum eſt, quum plura per ejus interceſſionem & merita, Filii ſui meritis conjuncta, nobis beneficia a Deo ſperanda ſint, quam e reliquorum Sanctorum precibus. Anathema ſit cuicumque devotionem ac pietatem veram erga Deiparam & Sanctos improbanti ſive minuenti. Veram dixi; poteſt enim & hæc ipſa devotio erga illam ceteroſque Sanctos excedere fines ab Eccleſia ſtatutos, & in ſuperſtitionem etiam dilabi. Ea de cauſſa honor *Reginæ judicium diligit*, ajebat S. Bernardus *Epiſt.* 179. ſignificans, judicio utendum eſſe ac modo vel in ipſa Virgine honoranda, & celebratum illud antiquorum, *ne quid nimis*, locum in ejus quoque cultu eſſe habiturum. Certe Bernardum in honore ac amore Virginis Sanctiſſimæ frigidum ac ſegnem nemo appellabit. Itaque huc reſpiciens Theophilus Raynaudus vir doctiſſimus *in Diptychis Marianis* in nonnullis damnavit *aliquem Deiparæ amorem intemperantem ac minime probandum*. Subdit: *hanc erga Sanctos intemperantiam amoris & honoris vigere maxime erga Deiparam in iis, qui illam non ſecundum ſcientiam diligunt & colunt*. Quam ſententiam atque cenſuram ille confirmat auctoritate Petri Cellenſis, Sanctorum Anſelmi, Bernardi, Epiphanii, ac aliorum, quorum verba repetere in præſentia nihil attinet. Itaque cum Eccleſia dicimus, colendos eſſe Sanctos, potiſſimum vero peculiari honore & amore proſequendam Deiparam, ſingulari Dei privilegio ſupra reliquos Sanctos, & ſupra Angelos ipſos exaltatam tum dignitate tum Sanctitate. Sed & ipſa Eccleſia cavendum docet, ne huc ſe ingerat error, ſive ex ignorantia, ſive ex intemperanti devotionis ardore, ſive e novitatis deſiderio, ne alias pejores cauſſas commemorem. Si quis enim ſibi aut aliis, exempli cauſſa, ſuaderet, devotionem ſolam erga Sanctum aliquem, ac præcipue erga Chriſti Matrem, tanti futuram vigoris, ut de vitanda ſubitanea morte, aut morte in peccatis, aut de infernis pœnis minime ſubeundis, firmam cautionem præbeat; errabit profecto, & ultra limites pietas temeraria excurret. Gravius etiam a vera pietate deflecteret, ſi hanc fiduciam in ſuperficiali quadam devotione conſtituet, qualis eſſet diurna aliquot precum recitatio, labiis tantum perſoluta, dum interim in flagitiis vivit, certamque nihiloſecius ſibi ſpondet in Cælis fidem. Errabit etiam,

quotieſcumque honores Deo debitos improvide Sanctis ipſique Deiparæ impendet. Errabit, qui nulla poſſe, niſi per eos, & imprimis per Virginem Sanctiſſimam impetrari a Deo beneficia doceat & credat. Errabit, qui laudibus immodicis Sanctos oneret, eoſque Deo pares facere videatur. Plura alia prætereo. At hæc improbat, hæc damnat Catholica Eccleſia. Habemus quid illa ſtatuerit de Sanctorum invocatione. Ad hanc normam exigenda noſtra devotio & invocatio, eorumque laudes; neque ſinendum, ut affectus pius exorbitet, aut opiniones ab ea diſcordes invehantur, ſive nutriantur. Certe ſacrum Tridentinum Concilium *Seſſ.* 25. poſtquam mandavit, ut fideles diligenter inſtruantur de Sanctorum interceſſione, invocatione, reliquiarum honore & legitimo imaginum uſu, quorum omnium germanam proponit atque explicat doctrinam, hæc ſubdit: *In has autem ſanctas & ſalutares obſervationes ſiqui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit, ita ut nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes, ſtatuantur.* Hæc regula fidei expreſſa e divinis Scripturis, & traditione Patrum. Atque huc ſi recentiores hæretici ſincera voluntate oculos converterent, a tot calumniis temperarent, quibus in Catholicam Eccleſiam utuntur, non alia de cauſſa, quam quod interdum deprehendunt, aut in rudi popello, aut in parum caſtigatis nonnullorum libris, quaſdam pietatis anomalias & exceſſus, quos plenis buccis crepant in concionibus aut libris editis, ludicrum ex his genti ſuæ ſpectaculum facientes. Quo in genere impiæ ac ridendæ eruditionis excelluit noſtris temporibus Miſſonius quidam Calvini Sectator, dum iter per Italiam a ſe ſuſceptum deſcripſit; ne quid dicam de nupero falſæ reformationis Apologiſta Jacobo Picenino, ſive quiſquis ſit ille impius Catholicæ Eccleſiæ hoſtis & accuſator. Plumbea hæc tela ſunt; noſſe quippe & fateri coguntur vel ipſi Heterodoxi, non e privatorum ritibus & opinionibus, ſed ex ipſa Eccleſiæ doctrina, in Conciliis potiſſimum & Catechiſmis firmata, deducendum eſſe, quid eadem Eccleſia tradat ac ſentiat. Nemo tamen e noſtris neget, quin cederet in ſingularem Eccleſiæ utilitatem, ſi univerſam hanc æruginem deterſam e regionibus noſtris cerneremus, ſemperque optandum eſſe, ut docti ea hic ſeveritate & circumſpectione utantur, quam prælaudata Sacra Synodus exigit, ne ulla falſi dogmatis, ullave ſuperſtitionis & periculoſi erroris occaſio præbeatur.

Idem *eodem loco*. Fuit mihi olim amica contentio cum viro non minus pietate quam doctrina ſpectatiſſimo. Laudabam ego in illo animum effuſum in obſequium & affectum erga Deiparam. Quis enim in Eccleſia Catholica non laudet & amet colentem & amantem illam, cujus encomium Angelus in Evangelio contexere cepit, & quam Sancti Patres ornare laudibus non ceſſant? Cujus cultus, amor, & honor ad fidem catholicam ſpectat. Verum mihi minime in illo probabatur, ita extollere devotionem erga Mariam, ut ſine iſta ſperanda ſalus æterna non foret, ut

cum

cum iſta Cœlum e manibus fidelium elabi nequeat. Afferebat ille in hanc rem S. Anſelmi verba: *Sicut, o Beatiſſima Virgo, omnis a te averſus, neceſſe eſt, ut intereat: ita omnis ad te converſus, & a te reſpectus, impoſſibile eſt, ut intereat*. Similia ſunt, & alia ejusmodi verba e libro *de quatuor virtutibus Beatæ Mariæ* depromta: *Impoſſibile eſt, ut aliquis homo ad eam converſus, & ab ea reſpectus damnetur*. A Sancto quoque Auguſtino (ita ille addebat) eadem Beatiſſima Virgo in *Serm. 18. de Sanctis* appellatur *ſpes unica* peccatorum. Ac de ipſa dicitur *Eccleſiaſtici c. 24. v. 31. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*, & alia, quæ commemorare ſuperfluum foret. Quibus ex verbis ultra quam par eſſet, ut mihi videbatur, auditoribus ſuis fiduciam regni cæleſtis adipiſcendi faciebat, dum ejusdem devotioni ac Laudibus Virginis quisque inſiſteret. Contra ego ajebam, componenda hæc eſſe cum vera ſanctiſſimæ Eccleſiæ noſtræ doctrina, atque ita explicanda, ut adverſus eam nulla ex parte pugnent. Non ignoraſſe S. Anſelmum, quæ hac de re ſententia Eccleſiæ foret, neque cenſendum ab ea diſcedere voluiſſe. Si quid crudum nimiumque exciderit ſanctis Viris, ſive devotionis fervore, ſive oratoria licentia in laudandis Sanctis, emolliendum eſſe canone orthodoxæ doctrinæ, & nihil verbis iis inſiſtendum, ſed eorum intentioni, ut ſcite monuit Cardinalis Bellarminus *l. 1. de Sanct. Beat. cap. 17.* aliique Theologi Polemici. Neque omnes Sanctos in Sanctorum Patrum cœtum eſſe inferendos; & quamquam eum honorem S. Anſelmo deferre malimus, illius tamen verba ſano illo ſenſu accipienda & explicanda eſſe, quem ſupra laudatus Theophilus Raynaudus, hæc ipſa Anſelmi aliorumque ſimilia loca expendens, ſapienter & ſecundum Eccleſiæ mentem iis tribuit in *Dipt. Marian. punct. 10. n. 37. p. 237.* Quod eſt ad Sancti Auguſtini locum, etſi prodeſſe multum nobis poſſit apud Deum patrocinium Sanctorum, ac præſertim Deiparæ: fidei tamen dogma eſſe, præcipuum & maximum Chriſtianę ſpei fundamentum, in miſericordia & elementia Dei, ac in meritis Divini Redemtoris noſtri eſſe collocandum, uſque adeo ut quidquid nobis impetrant a Deo, impetrent per Chriſtum Dominum noſtrum. *Omnis namque ſpes noſtra ſita eſt in Chriſto*, ajebat S. Cyrillus Alexandrinus in Concilio Epheſino *cap. 5. p. 313. edit. Lab.* Atque ad fidei dogma ſpectat appellare Jeſum Chriſtum opem noſtram, uti jam diu Apoſtolus *1. ad Timoth. 1. v. 1.* ipſum appellavit. Hæc doctrina Eccleſiæ Catholicæ, cujus verba ſunt in Concilio Tridentino *Seſs. 14. cap. 8. omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre*. Quare illud de Maria dictum *ſpes unica peccatorum*, ſi cum rigore acciperetur, ſententiam complecteretur a Fide omnino abſonam, quippe, quæ in injuriam ipſius Mediatoris evidenter vergeret. Ad hæc, minime tribuendus eſt, uti neque a doctis viris tribuitur, S. Auguſtino ſermo ille, uti ex editione Patrum Benedictinorum conſtat. Denique illud ipſum verbum *unica* mitiori illic ſignificatione accipiendum.

dum, ut non *unum* ſeu ſolum ſignificet, ſed ut *grande*. Suis nimirum precibus Deipara Virgo præ omnibus aliis Sanctis ſpem nobis uberiorem facit veniæ a Deo per Jeſum Chriſtum impetrandæ. Ita Natalis Alexander *in Append. tom. 2. Theol. dogm. Epiſt.49.* operæ pretium duxit exponere, quid ſignificent in *Salve Regina* verba illa *ſpes noſtra ſalve*, ne in errorem fideles inducantur, & ne vera devotio in ſuperſtitionem degeneret. Præterea nihil confici poſſe ex iis divinarum litterarum verbis: *Qui me elucidant, vitam æternam habebunt*. In illo enim Eccleſiaſtici loco ad litteram ſumto de virtute Sapientiæ agitur, non de Maria; de Sapientia Dei, aut de Verbo Dei, & increata Sapientia, non de Chriſti Matre. Quod ſi Eccleſia caput illud, ut & alia e veteris teſtamenti libris hauſta, legit in Virginis Beatiſſimæ feſtis diebus, id ob eam cauſſam facit, quod myſticus & ſymbolicus ſenſus interdum inſignes & incomparabiles virtutes, prærogativas, ac merita Virginis jam aliunde nota, adumbrare poteſt, uti jam plures ex Catholicis jam diu oſtenderunt. Ceterum, ſi quiſquam inſiſtere, & ſuperædificare vellet myſtico ſenſui verborum illorum, quaſi litteraliter ea de Virgine pronunciata fuiſſent, ibique fundare prærogativam non aliunde notam Eccleſiæ ac certam, is profecto in nubibus ædificaret, immo divinis libris abuteretur, in quibus, non quod nos pie optamus, ſed quod littera ſonat, ac traditio Patrum agnoſcit, Deus docere nos voluit. Propterea, etſi complures ad Deiparam ſecundum myſticum ſenſum referant verba illa *Cant. 4. v.7. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te:* Eccleſia tamen hiſce numquam uſa fuit, aut utetur ad fundandum dogma aliquod; quippe conſtans Eccleſiæ Catholicæ regula eſt, e litterali Scripturæ ſenſu, non vero e myſtico & ſymbolico, petendas eſſe veritates divinitus revelatas. Denique recte nos agere, ſi devotionem erga Sanctos, & præſertim erga Sanctiſſimam eorum Reginam populo ſuadeamus, & commendemus; ſed hoc non ſine prudentia ac moderatione faciendum, ne incertam aut periculoſam doctrinam diſſeminemus, aut ne indocti hic ſtatuant præcipuum ſuæ pietatis negotium, negligantque amorem & obſequium, quod debemus ante omnia & ſuper omnia, & ex præcepto, Creatori & Conſervatori noſtro Deo, ac Mediatori Dei & hominum Chriſto Jeſu. Hæc & alia amice diſputata ſunt, atque ut in altero profunda humilitas ac docilitas cum ceteris virtutibus certabat: ita gratias mihi amice monenti habuit & egit, ac in meam ſententiam conceſſit, idque opere inde confirmavit.

JOANNES BAPTISTA DU HAMEL *Theol. Speculat. tom. 2. de Præcept. Decal. lib. 1. diſſert. 2. cap. 3. n. 6.* Verum, inquiunt, iſta Sanctorum invocatio non præcipitur in Scripturis. Reſpondetur I, jam noſcunt in Tridentino Concilio invocationem Sanctorum bonam eſſe & utilem demonſtrare, non quod fideles omnes ullo præcepto aut divino aut Eccleſiaſtico teneantur eos invocare. Idque ad libidinem fingit Molineus: quæſtio eſt, an licita ſit & utilis.

AU-

AUGUSTINUS REDING Ord. S. Benedicti in *Inextincta Concil. Trid. Veritate tom.5. tr.12. ſect. 2. pag. 62. & 65.* Potuerunt ergo Bannes & Eccius dicere, invocationem Sanctorum in Scripturis non contineri, *quatenus nullum præceptum exſtat*, quo cultus divini ratio ſub iſta Sanctorum invocatione exercenda præcipiatur. Satis eſt, quod cum religionis ſinceræ, & *veræ fidei puritate non pugnat*. Immo, quia verbo Dei conſentanea eſt, ſecundum iſtam formalem religionis participationem dici poteſt contineri ſub divini cultus mandato, ſaltem quoad ſpecificationem ut ſic, obligatorio, *ne* absque violatione religionis veræ, immo ipſius fidei, *contemni valeat*.

JOANNES HOFFMEISTERUS Auguſtinianus apud Chemnitium *Exam. Concil. Trident. part.3. de invoc. Sanct. p.295.* Hoffmeiſterus, poſtquam multas ſententias veterum de invocatione Sanctorum coacervaſſet, tandem concludit illa ſententia, quæ exſtat in libris *de viſitatione infirmorum*, qui Auguſtino adſcribuntur, *lib.1. c.2.* „Tutius & jucundius „ loquor ad meum Jeſum, quam ad „ aliquem Sanctorum Spirituum „ Dei &c.“

JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI *de Cultu Sanct. par.1. tom.1. diſſert.1. c.4.* §.7. Nec minus conſtat errare eos, qui dicunt in Eccleſia Romana cogi fideles, ut relicto Chriſto ad Sanctos confugiant, eos invocent, deprecentur, & colant. Ubinam exſtant hæc in Tridentino? Quin etiam nullam in eo vocem invenies, a qua jubearis, ut Sanctos invoces, depreceris, aut colas: immo nullam vocem, a qua docearis, neceſſe eſſe, ut hæc Sanctis præſtemus omnes. Contra & Georgius Caſſander *in Conſult. art. 21. inter Opera Theolog. Grotii tom.4. p.585.* & Fratres Wallenburch. *to.2. p.231.* & Suarez *in Defenſ. fidei Cathol. l.2. c.9. n.14. & 21.* Natalis Alexander *diſſ.5. alias 25. ſæculi 5. qu.2. art.2.* aliique clariſſimi Viri candide animadverterunt, nullo fideles omnes ad rem hanc aut præcepto, aut neceſſitate devinciri, ſed tantum utilitate moveri.

JOANNES VIGUERIUS Ord. Prædicat. *in Inſtit. ad Chriſt. Theol. c.5. §.5. v.8.* Si adducatur Hiſtoria filii Prodigi, quoniam ad Patrem, non ad amicos, primo venit, ubi & aliqui Sancti Doctores dicunt: *Vide, quomodo ad Patrem, non ad Sanctos acceſſit:* Dicendum in primis, quod ad oſtentandam Dei familiaritatem hoc dicunt, ut non terreamur ad Deum primo accedere, & *ut non arbitremur neceſſarium eſſe Interceſſores deſtinare*.

DIONYSIUS PETAVIUS Soc. J. *Theol. Dogm. tom. 6. lib. 14. de Incarn. cap.18. n.5.* Deinde nihil aliud teſtimoniis iſtis ſignificare Chryſoſtomum, niſi hoc, non abſolute, ac præfracte neceſſarium eſſe Sanctos apud Deum interceſſores adjungere, ſed poſſe quemlibet ſine ſequeſtre, & internuncio Deum adire, ab eoque poſtulare quæ volet: non, ut Gentiles putabant, neceſſe hominibus eſſe, qui ad ſupremum Deum aſpirare velint, per interjectos minores deos, hoc eſt dæmones, ad illum contendere. Sic enim Apulejum, aliosque Platoni-

cos

eos exiſtimaſſe, teſtis eſt Auguſtinus: nempe, ita eſſe medios dæmones inter Deos & homines, tanquam internuncios, & interpretes, qui hinc ferant petitiones noſtras, inde referant deorum ſuppetias. Tum, ita inter homines quadam medietate verſari, ut hominibus apud ipſos Deos neceſſarii videantur. Item: eosque dæmones inter homines, & Deos ita medios conſtitutos putant, ait idem, tamquam nullus Deus homini miſceatur: ut hinc perferant deſiderata, inde referant impetrata: atque hoc Platonici præcipui Philoſophorum ac nobiliſſimi ſentiunt.

Quibus ex Chriſtianæ ſapientiæ decretis reſiſtit Auguſtinus; & id neceſſarium eſſe negat, homines per interjectos ullos, & interpretes ad ſummum Deum exorandum accedere: tamquam iſte proxime, ac per ſe cum illis neutiquam miſceatur. Nullo modo igitur (ait idem) quaſi per dæmonum medietatem, ambiendum eſt ad benevolentiam, ſeu beneficentiam deorum, vel potius bonorum angelorum: ſed per bonæ voluntatis ſimilitudinem, qua cum illis ſumus, & cum illis vivimus, & cum illis Deum quem colunt colimus.

Hoc ſenſu Chryſoſtomus negat Angelos, aut Sanctos, velut mediatores, neceſſario interponendos eſſe: quum per ſe quisque vitæ integritate, vel piæ voluntatis affectu niti poſſit ad Deum; quem qui animum ad orandum afferet, citius, & efficacius impetrabit quidquid ab illo petet, quam ſi id per interpretes alios ita faciat, ut vel nullum, vel minus acrem & incenſum pietatis ardorem in orationem conferat. Ita, inquam, Chryſoſtomi locus ille eſt interpretandus, &c.

CLAS-

Digitized by Google

C L A S S I S II.

Eorum, qui Germanice ſcripſerunt.

JOANNES BAPTISTA KRAUS Benedictin. *in Obſerv. ad explicationem doctrinæ Catholicæ Jacobi Benigni Boſſuet pag.50.* Ubi legitur, inquit, vel in unico Catholicorum libro, quod *omnino oporteat* ad Sanctos confugere? Eccleſia tantum ait, utile eſſe eosdem, tamquam Dei amicos, qui pro nobis Chriſtum orant, invocare, non vero quod id *neceſſario oporteat a nobis fieri.*

JOANNES BAPTISTA KRANS Benedictin. *in ſeinen anmerckungen yber aus-legung Chriſt-Catholiſchen lehr* &c. Jacobi Benigni Boſſuet Epi. pag.50. *Wo iſt zuleſen in einem einzigen Catholiſchen buch, das man* muſſe *zu denen heiligen gehen? Die Kürchen ſagt nur: es ſeye nuzlich, ſolche als freünd Gottes, die durch* Jeſum Chriſtum *vor uns bitten, anzuruffen, nicht aber das wür ſolches müſſen thun.*

LAMBERTUS A MOSPURG Capucinus *in Fidei Lumine* (qui liber pro Archi-diœceſi Salisburgenſi eſt præſcriptus) *pag.*318. Nos Catholici, inquit, non docemus, neminem fidelium ſine Sanctorum invocatione ad æternam felicitatem pervenire poſſe, ſeu unumquemque, qui vitam æternam conſequi vult, oportere omnino, ut Sanctos invocet. Hoc nullo pacto dicimus, ſed cum Concilio Trid. Seſs.25. *Decreto de Invocatione Sanctorum*, profitemur, bonum & utile eſſe, ut Sanctorum opem & interceſſionem imploremus, ut Dei beneficentiam per Jeſum Chriſtum ejus filium nobis conciliemus. Tridentinum itaque ait bonam & utilem eſſe Sanctorum invocationem. Omne vero quod bonum & utile eſt, neceſſarium quoque non eſt.

LAMBERTUS *von* MOSPURG Capucinus *in ſeinem glaubens liech*t (qui liber pro Archi-diœceſi Salisburgenſi præſcriptus eſt) pag. 318. *Wür Catholiſche lehren nicht, das kein glaubiger ohne die anrüffung der heiligen Köñe ſeelig werden, oder das ein jeder, der will ſeelig werden, müſſe notwendig die heiligen anruffen; diſes ſagen wür nicht, ſondern wür ſagen mit dem* Concil. Trid. Seſs. 25. Decret. de Invocat. Sanct. *Es iſt gutt und nuzlich, das man der heiligen hilf und fürbitt anruffe, die wohlthatten von Gott durch ſeinen Sohn Chriſtum zuerlangen. Alſo Trident. nuz un guts iſt die anruffung der heiligen, ſagt das Trident. aber nit alles, vas nuz und gutt, iſt auch einem jewederen notwendig.*

NICOLAUS ELFFEN S. J. in libello, qui inſcribitur, *Homo ſimplex & rectus pag.* 395. Non docemus, inquit, neminem fidelium ſine Sanctorum invocatione ſalvum fieri poſſe. Noſtra enim doctrina hæc eſt: *bo-*

NICOLAUS ELFFEN S. J. in ſeinem catholiſchen buchel, Schlecht und Recht pag. 395. *Wür ſagen nicht, das kein glaubiger, ohne die anruffung der heiligen Könne ſeelig werden. Dan unſer lehr iſt diſe:* Es iſt gutt und nuz-

Digitized by Google

lich das man bittend die heilige anruffe &c. *Alſo das* Concil. *zu* Trid. Seſs. 25. de Invocat. Sanctorum. *Worans clar, das wür nicht lehren, ein jeder, der wolle ſeelig werden, müſſe eben notwendig die heiligen anruffen, und Könne ohne ſolches anruffen nicht zu der ewigen glory Kommen: das ſagen wür nicht, ſondern wür ſagen allein mit dem jezt angeregtem Tridentiniſchen Concilio, das es nuz und gutt ſeye.* Et pag. 396. *Wan einer halsſtärriger weis verfechten wolte, es ſeye allen menſchen zur ſeeligkeit notwendig, das ſye die heiligen anruffen, wurde er nit anderſt für einen Kezer zuhalten ſeyn, als wan einer ſagte: die mittel ding ſeyen allen notwendig zur ſeeligkeit.*

num eſt & utile ſuppliciter Sanctos invocare. Ita Trid. Concilium Seſs. 25. *de Invocat. Sanctor.* Unde clare conſtat, nos non docere, unumquemque, qui ſalvus fieri velit, oportere neceſſario, ut Sanctos invocet, aut ſine ea invocatione non poſſe ad cœleſtem gloriam pervenire. Hoc plane non dicimus, ſed cum recitato Trid. Concilio utile tantum & bonum eſſe. Et *pag. 396.* Quod ſiquis obſtinatius contendat, neceſſarium eſſe omnino ad æternam felicitatem omnibus hominibus, ut Sanctos invocent: hæc haud deterior eſſet *hæreſis*, quam ſiquis diceret: adiaphoras res ad ſalutem eſſe neceſſarias.

HERMANNUS KLEPPE S.J. in ſeinem Catholiſchen Catechiſmo pag. 137. *Hat Gott gebotten, die heiligen anzuruffen? Nein.*

HERMANNUS KLEPPE *in Catechiſmo Catholico pag.* 137. Præcepit Deus, ut Sancti invocentur? Nequaquam.

JOANNES FERLER Dominicanus *in ſeinem* Licht und Schatten 1. thail pag. 80. *Ich glaube, das man auch die liebe heiligen ehren und anruffen Könne. Mithin die Kürchen nicht gebütte, das man* ſolle, *oder* muſſe. *Sollen aber diſe lezte wort in einem exemplar gefunden werden, ſo iſt dem wahren text nit gleichförmig.*

JOANNES FERLER Dominicanus in libro, cui titulus: *Lumen & Umbra part. 1. pag. 80.* Credo Sanctos in honore haberi & invocari poſſe. Hinc Eccleſia non præcipit, quod *neceſſe ſit aut oporteat* id agere. Quod ſi in ſcripto aliquo hæ voces inveniantur, illæ ſane autographo non reſpondent.

Das büchel Licht in der funſternus *durch* P. S. J. *verfaſt pag.* 91. Frag: *Iſt die anruffung der heiligen in der heiligen Schrifft befolchen?* Antworth. *Die anruffung der heiligen iſt in der heiligen Schrifft weder befolchen, noch verbotten.*

Auctor e Soc. J. libelli, cui titulus, *Lumen in Tenebris* pag. 91. *Interr.* Eſtne Sanctorum invocatio in Sacra Scriptura præcepta? *Reſp.* Sanctorum invocatio in Sacra Scriptura nec præcepta, nec vetita eſt.

Kleiner Cathechiſmus auf befelch des H. CHARLES JOACHIM COLBERT *pag.* 64. Frag: *Iſt die verehr:*

vnd

Catechiſmus minor juſſu Reverendiſſimi CAROLI JOACHIMI COLBERT editus *pag.* 64. *Interr.* Eſtne

in-

interceſſio & invocatio Sanctorum neceſſaria ad ſalutem? *Reſp.* Hæc valde bona, pia, & utilis eſt.

R. D. GEYER Parochus Urbis Paſſavienſis *in Catholica domeſtica Poſtilla pag.* 653. Altera tractationis hujus poſitio eſt, Sanctorum invocationem, etſi non ſit præcepta, bonam tamen & utilem eſſe.

MICHAEL PAVER S.J. olim Salisburgenſis Miſſionarius *in Explicatione Catholicæ Veritatis pag.* 44. *Æditunus:* Eſtne a Deo præceptum, vel ad ſalutem neceſſarium, ut Sanctos invocemus? *Cooperator*. Non eſt præceptum, neque ad ſalutem neceſſarium. Oportet tamen nos credere, *bonum eſſe & utile Sanctos ſuppliciter invocare*. Concilium Trid. *Seſs.*25. Decret. de Invocatione SS.

JOANNES FERLER in Appendice *de Explicatione Profeſſionis Fidei. pag.* 32. Itaque conſequitur, Sanctorum invocationem, morem eſſe antiquum, bonum, juſtum, & utilem. Etſi vero *nulla exſtat lex*, ut id *oporteat* facere, ad fidei tamen capita pertinet, poſſe Sanctos invocari, idque utile eſſe.

JOANNES SCHEFFLER *in Eccleſiologia tract.*18. *pag.* 840. *Optime utique vobis compertum eſt, nos Catholicos, Sanctorum invocationem pro præcepto non habere.*

IDEM *part.*2. *tr.*32. *p.*105. *Exam. I.* Verbi miniſter ita ait: Lutheranos Sanctorum & Angelorum invocationi adverſari non temere aut ex pertinacia, verum libenter eam

eſſe

und anruffung der heiligen notwendig zur ſeeligkeit? Antworth. *diſe iſt ſehr gutt, heilig, und nüzlich.*

Herr GEYER *Stadt Pfarrer zu Paſſau* in ſeiner Chriſt. Catholiſchen Haus-Poſtill. pag. 653. *Welches der anderte ſaz unſerer gegenwerthigen abhandlung iſt, das nemblich die anruffung der heiligen, ob es zwar Kein gebott, doch wohl und nüzlich ſeye.*

MICHAEL PAVER S. J. *geweſter* Miſſionarius Salisburgenſis *in* Erklarung der Catholiſchen Wahrheit *pag.* 44. Meſner. *Iſt wohl von Gott befolchen, oder zur ſeeligkeit notwendig die heiligen anzuruffen?* Herr Caplan: *Es iſt nicht befolchen noch zur ſeeligkeit notwendig; glauben aber müſſen wür*, es ſeye gutt, und nuzlich, das man bittend die heilige anruffe &c. *Concil. von Trid.* Seſs. 25. Decret. de Invocat. Sanctorum.

JOANNES FERLER in Appendice von Erklarung der glaubens bekantnus pag. 32. *So folget dan, das die anruffung der heiligen ein alte, gutte, billiche, und nuzliche ybung: und ob ſchon es* Kein gebott iſt, *das mann ſolche* müſſe *thun, ſo iſt es doch ein glaubenſ-articul, das mann Könne, und nuzlich ſeye, die heilige anruffen.*

JOHANN SCHEFFLER in Eccleſiologia im. 18. tractatlein pag. 840. Ihr wiſt gar wohl, das wir Catholiſche aus der anruffung (deren heiligen) Kein gebott machen.

IDEM in 2. thaill im. 32. tractatlein pag. 105. Examen I. *Der Prædicant erkläret ſich, die Lutheraner widerſtrebten der anruffung der heiligen und Englen nit aus muttwillen oder ei-*

gen-

genſiniger halsſterrigkeit, *ſondern wolten ſye gehrn billichen*, *wan ihnen aus claren worth Gottes bewiſen wurde*. *I. Das es ein außtrcklicher befelch Gottes ſeye* &c.

Antworth. *Das erſte fordert er aus grober unwiſſenheit*, *weillen wür nicht lehren*, *das es gott befolchen*, *ſondern nur*, *weillen er es nirgends verbotten*, *und das es gutt ſeye*, *wan man ſye verehret*, *vnd anruffet*; *woran der fürneme Pater S.J.*, *wie auctor meldet*, *gar recht gethan*, *das ers geredet*: *der Praedicant aber unrecht thut*, *das er fürs I. ihn zeichet*, *er wolle mit außtheillung diſer erkantnus*, *welche diſe anruffung aus heiliger Schrifft beweiſet*, *denen leüthen einen blauen dunſt vor die augen machen*, *bis er ſye in falle gebracht*. *Fürs. 2. Das Concil. Trid. fälschlich bezichtiget*. *Es weiſe deſſen* Decretum de Invocat. & venerat. Sanctorum *aus*, *das diſe anruffung nit* indifferens: *ſondern hoch notwendig ſeye*, *welches beydes er nimmermehr erweiſen würd*. Similia repetit poſtea: *pag.*238.

FRANCISCUS SEBASTIANUS NONHARD S.J. *geweſter Controvers Prediger in Dreſden in ſeinen Controvers Predigten* p.499.& 500. *Als haben ſye acht!* Ich glaube, *ſagt unſer heilige Tridentiniſche Profeſſion*, das man die lieben heiligen, ſo mit Chriſto Regiren, ehren, vnd anruffen moge. *Alſo ſeynd wohl zumercken die worth der Profeſſion*, *das es Kein* gebott *ſeye*, *das wür catholiſche die heiligen anruffen* müſſen, *wie vill von denen neuen lehrern in ihren Schrifften und büchern wider vns catholiſche vorgeben*; *Nein liebe Chriſten! Nicht* muſſen, *ſondern* invocandos eſse, *ſagt das Tridentiniſche Concilium*, *das man ſye anruf-*

ſen

eſſe permiſſuros, dummodo perſpicuis Scripturæ locis oſtendi poſſit, I. eſſe manifeſtum Dei mandatum.

Reſponſio. Primum, quod petit, facit id ex craſſa dogmatis noſtri ignoratione. Neque enim nos docemus, id eſſe a Deo præceptum, ſed tantum bonum eſſe eos venerari & invocare, quoniam nuſquam vetitum invenitur. Quare præſtantiſſimus ille e S. J. Pater, ut auctor meminit, non injuria ita eſt alloquutus: Verbi miniſter vero inique agit, quod cum eo expoſtulet, quaſi propagata hac doctrina, qua Sanctorum invocatio Sacra Scriptura niti demonſtratur, hominibus vellet fucum ſacere, ad eos in errorem inducendos. II. Falſo Trid. Concilium accuſat, quaſi ejus *decreto de Invocat. & venerat. Sanctorum*, invocatio hæc non tantum adiaphora, ſed ſumme neceſſaria ibi diceretur: quorum utrumque numquam oſtendere poterit. Similia repetit poſtea: *pag.*238.

FRANCISCUS SEBASTIANUS NONHARD S.J. Dresdæ Controverſiarum Concionator, *in concionibus de controverſiis pag.*499. & 500. Quare animum advertite. *Credo*, ait noſtra Tridentina Profeſſio, *Sanctos cum Chriſto regnantes venerandos & invocandos eſſe*, ſive quod idem eſt *poſſe* vel *decere*. Quare Profeſſionis hujus verba animadverſione digna ſunt, *nullum* ſcilicet eſſe *præceptum*, ut *oporteat* nos Catholicos Sanctos invocare, veluti plurimi e novis Scriptores in libris ſuis adverſus Catholicos editis contendunt. Non ait *oportere*, *ſed invocandos eſſe*, ſive *poſſe* juxta Tridentinum Concilium. Nul-

lum

lum eſt itaque præceptum, ſed conſilium, haud aliter, atque in eodem Concilio dicitur: *bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare*. Ab hoc longe aberravít nuperus quidam Scriptor in libello ſuo ante paucos annos edito, ubi plura adverſus Sanctorum invocationem congerit. Mentem & doctrinam noſtram parum is eſt aſſequutus. Neque enim Concilium de adoratione mentionem facit, ſed Sanctorum tantum invocationem conſulit, quæ toto cælo diſtant. Nos Catholici procul abſumus ab idololatria, neque adorationem Deo debitam rebus creatis tribuimus. Invocatio vero non eſt adoratio. Quare Scriptores hujuſmodi ante omnia curent, oportet, ut doceantur, quæ noſtra ſit fides & doctrina, ne dum de controverſiis agunt, deridendos ſe præbeant, atque dum ipſi de terra, nos de cælo loquamur. Agunt ipſi *de adoratione*, nos *de invocatione*; ipſi *de præcepto*, nos *de conſilio*, vi cujus liberum rurſus eamdem invocationem omittere.

Adamus Flottus S. J. *in Collyrio pag.*131. Quinam vero graves illi Doctores erunt, qui mori ab antiquiſſimis uſque temporibus Chriſtianæ Eccleſiæ recepto Sanctos invocandi adverſetur? Eritne ille S. Ambroſius, atque eo ipſo loco paullo ante recitato? Quid ergo ille ait? *Neceſſum non eſſe interceſſores habere.* Hoc & Catholici Doctores affirmant. Oſtendatur vel unus, qui Sanctorum invocationem *neceſſariam* vel *præceptam* eſſe doceat.

ſen Könne, als iſt es Kein gebett, ſondern ein rath, *wie das* Concilium redet: bonum atque utile eſse ſuppliciter eos invocare. *Das es gutt und nuzlich ſeye die heiligen diemüthig anruffen; nicht wie ein neuling in ſeinen vor wenig jahren in truck auſgegangenen buch --- alwo er wider die anbettung der heiligen, als eine abgötterey, nach einander ſchreibt. Liebe Chriſten! Dan das iſt ein groſſe ignoranz und müſverſtändtnus, dan das heilige* Concilium redet *von Keiner anbettung, ſondern rathet allein die anruffung der heiligen, das iſt himmel und erden weit voneinander. Wür Catholiſche ſynd Keine Heyden, das wür die göttliche anbettung einer creatur geben ſelten; die anruffung iſt Keine ambettung. Als müſſen dergleichen Scribenten ſich zuvor informiren, was wür catholiſche glauben, und lehren, damit ſye nit von uns mit ihren Controverſen auſgelachet werden, da ſye von der erden reden, und wür von dem himmel. Sye reden von anbetten, und wür ven anruffen, ſye von einem gebott, und wür von einem rath; alwo es allein frey bleibet die heiligen anzuruffen, und frey bleibet die anruffung zuunterlaſſen.*

Adamus Flotto S. J. in Collyrio p. 131. *Wer ſolten aber die rechtſchaffene Lehrer ſeyn, welche der in der uralthen chriſtlichen Kirchſe offenbar yblichen* anruffung der Heiligen, *ſich widerſezt, und widersprochen haben? Solle es der heilige Ambroſius ſeyn, und zwar in dem angezogenen ſpruch! Was ſagt dan diſer?* Es ſeye nit nothig Vorbitter zuhaben. *Das ſagen auch alle Catholiſche Lehrer: truz, das er nur einen einzigen aufweiſe, welcher lehre, das die anruffung der heiligen* nothig *oder* gebotten *ſeye?*

CLAS-

CLASSIS III.

Eorum, qui Gallice ſcripſerunt.

MESSIRE ESPRIT FLECHIER *Panegyriques tom.I. Preface.*

Mais eſt-il neceſſaire, adjoutent-ils, de nous adreſſer à la Vierge & aux Saints? N'eſt-ce pas une Religion vaine & inutile? Ne devons-nous pas être ſatisfaits de mettre en Dieu & en Jeſus-Chriſt nôtre devotion & nôtre confiance? A quoy bon cette pratique de pieté? A Dieu ne plaiſe que je raiſonne ainſi: voudrois-je retrecir les voyes, que l'Egliſe me donne pour mon ſalut? Mon Dieu, que toute langue vous beniſſe & vous ſollicite pour moy; que toutes les creatures me tendent les mains, pour me conduire juſqu'à vous: que le ciel & la terre écoutent ma voix, & s'intereſſent pour mon ſalut: que les Anges & tous les Eſprits bienheureux reçoivent mes vœux, & mes larmes, pour vous les preſenter, & qu'un million de mains inviſibles, portent devant le Trône de l'Agneau, l'encens de mes vœux, & de mes oraiſons.

Il eſt vray que Dieu nous ſuffit; *mais cette pratique d'invoquer les Saints ne laiſſe pas* d'eſtre utile. *La prudence Chrêtienne veut qu'on cherche toutes les aſſiſtances poſſibles. C'eſt marquer peu d'eſtime pour la grace de Dieu, que de ne pas embraſſer tous les moyens de l'obtenir. Dans une affaire de conſequence, où il s'agit du ſalut, quelle faveur & quelle protection doit-on negliger? Il y a des bienſeances,* qui ſont preſque des obligations; *il faut par l'obſervance des* conſeils, *plier ſa volonté à celle des* commandemens. C'

eſt

ILluſtriſſimus & Reverendiſſ. ESPRIT FLECHIER in Panegyricis Orationibus Præfat. tom. I.

Verum, addunt, eſtne neceſſarium ut ad B. Virginem & Sanctos confugiamus? Nonne vana & inutilis hæc eſt Religio? An oon nobis ſufficit pietatem & fiduciam noſtram in Deo & Jeſu Chriſto collocare? Quæ ergo pii hujus moris eſt utilitas? Procul a me abſit, ut ita ſentiam. Num me ſubibit libido adminicula ad ſalutem mihi ab Eccleſia oblata ſuccidendi? Utinam te, o Deus, lingua omnis laudet, atque pro me apud te ſollicita ſit. Utinam creatæ res omnes manus ad me porrigant, meque ad te ducant. Cælum & terra audiant vocem meam, & ſalutis meæ curam gerant. Angeli, & univerſi Beati Spitus vota & lacrymas meas ſuſcipiant, tibique offerant, centumq; maouum myriades oculis nou perviæ votorum & precum mearum incenſum tus ante Agni Thronum ſiſtant.

Verum quidem eſt, *Deum nobis ſufficere;* attamen *utilis adhuc eſt* Sanctos iovocandi conſuetudo. Chriſtianæ eſt prudentiæ, ſiogula ea quærere, quæ nobis utilia eſſe poſſunt. Dei enim gratiam contemnere videremur, niſi ea, quæ ad illam obtinendam utilia ſunt, amplecteremur. In tanti momenti negotio, ubi de ſalute agitur, nullus favor, nullum patrocinium eſt negligendum. Sunt quædam *decora, quæ a præceptis parum diſtant.* Si *conſilia* ſerves; voluntatem *ad præcepta* promtiorem reddes. Super-

ſti-

ſtitioſorum & infirmorum eſt, quæcunque pietatis genera conſectari. Verum genus eſt impietatis illa contemnere, quæ nobis ſanctificandis inſervire poſſint. Quemadmodum Deum tentare is dicitur, qui rebus creatis, ubi nobis neceſſariæ ſunt, uti nolit; ita & Deo non placet, ſi quis rerum creatarum opem ad Conditorem nos ducentem, noſtræque ſaluti proficuam reſpuat. Hoc idem eſt, atque gratias, quas a Deo expectare poſſumus, in dubium vocare, atque ejus miſerationi fines præſcribere, quaſi de ejus honore & gloria eſſemus ſolliciti. Hinc inſtituti ſunt ab Eccleſia feſti dies in Sanctorum honorem ad fidelium pietatem excitandam precibus illis quæ tunc peraguntur, atque eorum virtutum elogiis, quæ tunc recitantur.

eſt le propre des eſprits indiſcrets, & ſuperſtitieux de donner dans toutes ſortes de devotions: Mais il y a une eſpece d'irreligion de mépriſer celles qui peuvent aider à noſtre ſanctification. Comme c'eſt tenter Dieu, que de ne pas vouloir ſe ſervir du ſecours des creatures, lorſqu'il nous eſt neceſſaire; c'eſt lui déplaire, que de dédaigner, pour noſtre profit ſpirituel, le ſecours des créatures, qui nous conduiſent au Créateur. C'eſt conteſter les graces que Dieu leur peut faire, & donner des bornes à ſa Miſericorde, ſous pretexte d'eſtre jaloux de ſon honneur, & de ſa gloire. C'eſt pour cela que l'Egliſe a inſtitué des Feſtes, en l'honneur des Saints, pour exciter la pieté des fideles, par les prieres qu'on y fait, & par les Eloges de leur Sainteté, qu'on y prononce.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus JACOBUS BENIGNUS BOSSUET *in Explicatione doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ pag. 29.*

Hinc videri poteſt, quam verum ſit, magnam controverſiarum noſtrarum partem ceſſaturam, dummodo ſolæ voces perſpicue explicarentur, atque capita hæc amice pertractarentur. Quod ſi adverſarii noſtri tranquillo animo conſiderarent explicationes illas, quæ præceſſerunt, & quæ apertam Concilii Tridentini doctrinam comprehendunt, amplius nobis non objicerent, injuriam nos facere Jeſu Chriſti mediationi, aut nos ea ratione Sanctos invocare, aut imagines adorare, quæ Dei ſolius propria ſit. Verum quidem eſt, quum voces hæ *adoratio*, *invocatio*, *Mediator* quodam pacto ad Deum Jeſum Chriſtum ſolum pertineant, facile fieri poſſe, ut iis

abu-

Meſſire JACQUES BENIGNE BOSSUET, Expoſition de la doctrine de l'Egliſe Catholique pag. 29.

omnium Regina, ſic & omnium Patrona, & Advocata, & cura eſt illi de omnibus: *die übrige vermögen crafft ihres ſchuz-Rechts mehrer für die jenige, ſo ihnen ſonderbar anvertrauet ſeynd, als für andere; aber die ſeeligiſte Jungfrau Maria, gleichwie ſye aller Königin iſt, alſo iſt ſye auch aller Schüzerin und Advocatin, und tragt ſorg über alle. Weillen wür dan alle ihre ſorg und ſchuz von Gott anvertrauet ſeynd, müſſen gleichfahls wür alle ſye benantlich ehren und anruffen.*

(O) Salazar in Proverb. c.8. *lehret auſtrucklich:* illum, qui Virginis opem & auxilium ſibi adeſſe non petit, haud poſſe longo tempore lethalem culpam effugere; *das jener, ſo Mariæ hilf und beyſtand nicht anruffet, nicht Könne lange zeit die todsünd vermeiden.*

(P) *Mit nicht geringer verwunderung hab ich vernommen, das einige misbillichen, das man Mariam* Matrem miſericordiæ, *eine Mutter der barmherzigkeit nenne, und ſo gar die* Antiph. Salve Regina, *worinnen diſer titul ihr beygeleget würd, nicht gelten laſſen wollen. Aber da die heilige Catholiſche Kürchen ſelbſt diſe von unſerem heiligen Hermanno Contracto verfaſte Antiphon angenommen, und dem täglichen officio einverleibet, weis ich nit, mit was fug jemand darwiderſtreben Könne; in fernerer erwegung, das noch mehrer andere bewahrte Vätter mit übereinſtimen; maſſen Richardus Victorinus* in Cant. c.23. *ſchreibet:* Ad te ergo Matrem miſericordiæ, Matrem miſerorum clamant exſules filii Evæ: *dahero ruffen zu dir als eine Mutter der barmherzigkait, und ein Mutter deren mühſeeligen die ellende Kinder Evæ. Ja der Guillelmus Alvernus vor fünff hundert jaren von dem allgemeinen Kürchenbrauch bezeuget;* quam Matrem miſericor-

„ ria, ſicut eſt omnium Regina, ſic & omnium Patrona, & Advocata, & cura eſt illi de omnibus." Quare quum noſtrorum omnium cura & patrocinium ei a Deo ſint commiſſa, neceſſum pariter eſt, ut eam præcipue & ſingillatim veneremur, atque invocemus.

(*O*) Salazar *in Proverb. cap. 8.* aperte docet: „ Illum, qui Virginis opem & auxilium ſibi adeſſe non petit, haud poſſe longo tempore lethalem culpam effugere."

(*P*) Non ſine ingenti admiratione percepi, non probare aliquos, ut Maria *Mater miſericordiæ* appelletur, quin & ipſam Antiphonam *Salve Regina*, ubi appellatio hæc Mariæ tribuitur, rejicere. Verum, quum Catholica Eccleſia Antiphonam hanc a S. Hermanno Contracto adinventam uſu receperit, & qnotidiano Cleri penſo inſeruerit, ignorare me plane profiteor, qua ratione liceat quibusdam ei repugnare. Præſertim, quum plures alii & probati Patres eidem conſentiant. Etenim Richardus Victorinus *in Cant. cap. 23.* ait: „ Ad Te ergo *Matrem miſericordiæ*, Matrem miſerorum clamant exſules filii Evæ." Teſtatur quoque ante annos quingentos morem hunc ab univerſa Eccleſia fuiſse receptum Guillelmus Alvernus his verbis: „ Quam *Matrem miſericordiæ* & Reginam pietatis vocat, immo

„ *cla-*

„ *clamitat* omnis Eccleſia. “ Eadem invenias apud Sanctum Bonaventuram *lib.* qui inſcribitur, *viginti quinque mirabilia*; atque apud Taulerum *in præparatione ad felicem mortem*, aliosque. Non ignoro, Petrum Martyrem hæreticum hominem, eà de cauſa appellationem hanc improbare, quod hæc ſolius Dei ſit, qui 2. *ad Corinth. cap.* 1. *verſ.* 3. vocatur, *Deus Pater miſericordiarum*. Verum argumenti hujus infirmitas vel inde colligitur, quod licet Maria *Luc. cap.* 1. *verſ.* 28., & Stephanus *Actorum* 6. *verſ.* 8. *gratia pleni* appellentur, id tamen *Joann. cap.* 1. *verſ.* 14. Chriſto adſcribatur. Huic perſimile eſt, quod apud *Joannem cap.* 8. *v.* 12. legitur, ubi Chriſtus de ſe ait: *Ego ſum lux mundi*, etſi *Matth. cap.* 5. *v.* 14. Apoſtolos ita alloquatur: *Vos eſtis lux mundi*. Sæpe enim eadem appellatio Deo & Sanctis, tamquam ſedulis Dei imitatoribus, tribuitur, juxta illud *Matth. cap.* 5. *v. ult. Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt*. Diſcrimen tamen quilibet agnoſcit. Sane quis repugnabit, Mariam, quæ miſericordiſſima eſt Mater, *Matrem miſericordiæ* appellari poſse, quum Sapiens in *Eccleſiaſtico cap.* 44. *v.* 10. homines miſericordes *viros miſericordiæ* appellet? Exſtat & in Collect. Conciliorum Harduini *to.* 9. *pag.* 1947. *lit.* C. definitio, erroris eos arguens, qui ita ſentiunt: „ Non recte aut pie ab Eccleſia „ ca-

ricordiæ & Reginam pietatis vocat, immo clamitat omnis Eccleſia; *welche eine Mutter der barmherzigkeit nennet, ſo ruffet die ganze Kürchen: nicht minder iſt zu leſen bey dem heiligen Bonaventura* lib. qui inſcribitur, Vigintiquinque mirabilia; *bey Taulero* in præparatione ad felicem mortem. *Ich weis zwar wohl, das Petrus Martyr, ein Kezer, von darumben erdeute benambſung getadlet habe, weillen ſelbige Gott eigen ſeye, lauth* 2. ad Corinth. c. 1. v. 3. Deus Pater miſericordiarum, *Gott ein Vatter der barmherzigkeit. Allein wie ſchwach diſes argument ſeye, erhellet aus deme, das widrigen fahls der Engel, ſo Mariam* Luc. c. 1. v. 28. gratia plenam, *voll der gnaden genennet hat, und noch mehr Lucas* Act. 6. v. 8. *ſo den Stephanum mit dem titul beehret, da ſelbiger doch* Joa. c. 1. v. 14. *Chriſto zugeſchriben würd, ja Chriſtus ſelbſten, als welcher* Joann. c. 8. v. 12. *von ſich ſagt:* Ego ſum lux mundi, *ich bin das licht der welt, und doch auch* Matth. c. 5. v. 14. *zu denen Apoſtlen ſpricht:* Vos eſtis lux mundi, *ihr ſeyet das licht der welt, geſellet haben müſten. Es würd offt ein titul Gott, und denen heiligen, als Gottes eyfrigiſten nachfolgern, nach jenem:* Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt: *Seyet vollkommen, gleichwie auch euer Vatter vollkommen iſt,* Matth. cit. c. 5. v. ult. *beygemeſſen, den unterſchid weis doch jedermäniglich. Und warumb ſoll dan Maria, ſo die barmherzigiſte Mutter iſt, nicht Können genennet werden,* Mater miſericordiæ, *ein Mutter der barmherzigkeit, da der weiſe* Eccleſiaſt. c. 44. v. 10. *die barmherzige Männer* viros miſericordiæ *nennt, Männer der barmherzigkeit. Ja es iſt zu finden* in Collectione Conciliorum Harduini tom. 9. pag. 1947. lit. C. *das als ein Irrthumb verworffen ſeye worden der ſentenz,* Non recte aut pie ab Eccleſia canuntur illæ oratio-

nes,

nes, Salve Regina Mater miſericordiæ, Regina cæli, Ave maris ſtella, *das vnrecht in der Kürchen geſungen werden jene gebetter, ſey gegrüſt du Königin, Mutter der barmherzigkeit, Königin des himmels, ſey gegrüſt du ſtern des meers.*

(Q) *Wan auch einer bemelten titul der Mutter der barmherzigkeit bedencklich zuſein noch vermeinen ſolle (deſſen ich Keine wahrſcheinliche urſach, ſondern villmehr die höchſte billichkeit unſer allergnedigiſte Mutter alſo zugrüſſen finde, vnd vmb ſo weniger dem allgemeinen Kürchen-gebrauch eine ausſtellung zumachen mich ermeſſete) ſo will ich doch von Keinem Catholiſchen Chriſten den wahn ſchöpfen, das er nicht Mariam für vnſer Mutter erkennen werde. Hieſigen landes, alwo unſer hochwürdigiſter Ober-Hirt, und gnädigiſter Landts-fürſt ſelbſten in ſeiner höchſtrühmlichen predig uns das ſichere vertrauen zu Mariam, als zu unſer liebreichiſten Mutter mit ſonderem nachtruck eingerathen, würd gewis niemand dargegen eine andere neue, und bey wahren Catholiſchen gemüttern anſtöſſige lehr einzuführen ſich vnterwindten. Einvolglich bleibt der vnverruckte ſchlus, das, weillen Maria, unſer Mutter iſt, wür ſye in ehren zu haben und ihres mütterlichen ſchuzes uns zubewerben gehalten ſeyen. Leztlich habe für dienſamb erwählet, auch was ſonſten gegenſeiths eingewendet werden mechte, nebſt gehörigen antworthen beyzuſezen.*

„ capuntur illæ orationes, *Salve Regina Mater miſericordiæ, Regina Cæli, Ave maris ſtella.*"

(Q) Etiamſi vero quis de appellationis hujus *Matris miſericordiæ* juſtitia dubitare pergat (gravis licet cauſſa nulla ſubeſſe poſſit, cur indulgentiſſimæ Matri noſtræ honorem hunc negemus, atque univerſæ Eccleſiæ morem jure reprehendamus, quorum utrique, æquitas potius poſtulat, ut faveamus) de nullo tamen Catholico homine ſuſpicarer, Mariam ab eo pro *Matre noſtra* non haberi. Hic certe, ubi Celſiſſimus & Reverendiſſimus PRINCEPS & & Summus PASTOR noſter in commendatiſſima Oratione ſua vehementer eſt hortatus, ut fiduciam noſtram in Maria, tamquam Matre amantiſſima, figeremus: nemo certe erit, qui novam, & Catholicis auribus peregrinam doctrinam invehere conetur. Quare immotum adhuc eſt, quod ſupra poſui, nos, quod Maria Mater noſtra ſit, ad eam in honore habendam, atque ut ad maternum ejus patrocinium confugiamus, lege conſtringi. Poſtremo operæ pretium duxi, ea, quæ ab adverſantibus opponi poſſunt, addita reſponſione in medium proferre.

Google

Objectiones.

(1) Oſtendi non poſſe, quosnam præcipue Sanctos, vel (2) quando, & quam ſæpe invocare oporteat, & in honore habere. E contra (3) poſſe aliquando accidere, ut qui Mariam, Sanctosque ceteros nec veneretur nec invocet, æternam tamen felicitatem conſequatur. Veluti ſi puer, rationis uſum adeptus ad Deum ſolum ut finem ultimum ſe converteret, & paullo poſt vita excederet; hic utique ad ſalutem æternam perveniret. Idem de illo ſentiendum, qui toto vitæ ſuæ curſu Dei & Eccleſiæ mandata atque adeo & dies Sanctis ſacros, audito Miſſæ Sacrificio & manuum labore prætermiſſo, ſervaret, nullum tamen Sanctorum invocaret, aut eorum meminiſſet; atque de alio, qui, quum vitam ſceleroſam duxiſſet, nec umquam bonis operibus vacaſſet, reſipiſceret tamen, antequam animam efflaret. Par ratio ejus eſt, qui abſolutiſſimæ pietatis genus conſectatus, ſummas tantum virtutes, fidem ſcilicet, ſpem & Dei amorem ſibi exercendas eſſe putaret, Deoque ſoli adhærendum: Quemquam etiam (4) inficiari non poſſe, licere nobis preces noſtras nullo intermedio ad Deum ipſum fundere. Chriſtum enim ipſum (5) nullam nos aliam, quam Dominicam precationem docuiſſe. Tantum præterea eſſe, atque immenſum adeo erga nos Dei amorem (6) ut a nobis abſque ullius præter Chriſtum Mediatoris neceſſitate exorari ſe patiatur. Quod ſi Mediatoris & Advocati appellatio-

Einwürff.

(1) *Man Könte nicht zeigen, was für heilige wür in ſonderheit, oder (2) wan und wie offt zuverehren und anzuruffen ſchuldig ſeyen; dahingegen (3) verſchidne caſus auszufinden ſeyen, alwo unlaugbar ſich wahr zeiget, das einer, der weder Mariam, noch andere heilige würcklich verehret, und angeruffen, ſeelig werden Köne; als exempel weis, wan ein junger menſch, ſo zu ſeinen verſtandt allererſt gekommen, und ſein gemüth zu Gott als ſeinen lezten zill gehörigermaſſen gewendet, gleich darauf aus dem leben ſcheidet, der würd ja ſeelig; wie auch jener, ſo ſein lebtag oder lebenlang die gebott Gottes und der Kürchen, mithin zwar auch die feyertag mit andächtiger anhörung der mees und unter laſſung der verbottenen arbeith, aber ohne einen heiligen darbey anzuruffen, oder von einem zugedencken, halten thäte; ebenmeſſig wan ein laſterhaffter menſch, der niemahlen ein guttes werck geübet, ſich vor den lezten abtruck durch eine beicht oder vollkomne reu und leyd bekehrete; Item, wan einer der weſentlichen vollkomenheit und heiligkeit nachſtrebend, ſich alleinig in denen höchſten tugenden, als glauben, hoffnung, und liebe Gottes üben, mithin ſich pur mit Gott vereinigen ſolte: wie dan (4) nicht widerſprochen werden möge, das uns erlaubt ſeye unſer gebett unmitelbar an Gott zurichten; ja (5) Chriſtus ſelbſt Kein anderes gebett uns durch das Pater noſter gelehret hat, und (6) die gütte Gottes, und deſſen höchſte liebe gegen uns ſo groſs und unermeſſen, das er uns ganz villig anhöre, noch ein anderer mitler als Chriſtus dar-zu gebraucht werden müſſe; wi-*

dri-

drigen fahls (7) *der würde Chriſti ein groſſer abtrag erbolgen würde, wan wür das Prædicat eines mittlers vnd Advocatens, ſo ihme alleinig in heiliger Schrifft zugeeignet würd, anderen gemein machen wolten, der Apoſtel ſaget* 1. ad Timoth. c.2. v.5. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum Jeſus Chriſtus; *dan es iſt ein Gott, vnd ein mittler zwiſchen Gott und denen menſchen Chriſtus Jeſus: Wie dan auch nur von ihme geſchriben ſtehet* 1. Joan. c.2. v.1. Advocatum habemus apud Patrem Chriſtum Jeſum; *wür haben einen Advocaten bey dem Vatter Jeſum Chriſtum.*

tionem, quæ in Scripturis ei ſoli tribuitur (7) aliis quoque communem facere velimus, injuriam fieri inſignem Chriſti dignitati. Ait enim Apoſtolus 1. *ad Timoth. cap.* 2. *v.* 5. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus.* Cui & illud conſonat 1. *Joan. cap.* 2. *v.* 1. *Advocatum habemus apud Patrem Chriſtum Jeſum.*

B'EANTWORTHUNG.

Vor allen will ich erindert haben, das diſe einwürff meiſtentheils auch erzwingeten, das wür weder Chriſtum würcklich zuverehren oder anzuruffen ſchuldig wären. Dan ſagen mir die widerſacher, wan wie offt es geſchechen müſſe? Es wurde auch ein Knab, der ſich bey der erſten vernunfft, oder ein sünder, der ſich vor den lezten augenblick mit einem vollkomenen Act der übernatürlichen lieben zu Gott kehrete, noch dazumahlen auf Chriſtum gedenckete, nach ſeinem alſo bald hernach ervolgenden tödlichen hintritt zur ſeeligkeit gelangen; vnd ebenmäſſig der jenige, ſo alle gebott beobachtete, vnd zwar an Chriſtum glaubete, aber kein gebett zu ihm verrichtete, oder ſich einzig in übung der liebe Gottes aufhaltete. Wür haben gleichfahls die erlaubnus zu Gott vnmittelbar vnſer gebett abgeben zu laſſen, geſtalten wür durch das ven Chriſto erlehrntes Pater noſter vnterrichtet worden &c. Jedoch einem jedwederen einwurff inſonderheit zubegegnen, ſo ſage ich ad (1) *das wür er-*

ſtlich

RESPONSIO.

Antequam ad ſingula accedam monere me oportet, adverſantium argumenta pleraque evincere, nos, ut vel Chriſtum ipſo opere veneremur aut invocemus, lege non conſtringi. Cuperem mihi etenim ab iisdem explicari, quando & quam ſæpe id facere oporteat, ſive is ſit puer, ſive ſceleroſus, aut abſolutiſſimæ pietatis conſectator, qui in ipſo mortis articulo Deum quidem diligeret, Chriſti tamen non meminiſſet, aut quæ de Chriſto revelata ſunt, crederet quidem, & mandata ſervaret, nullas tamen ad eum preces funderet, ſed in ſolo Dei amore ſe exerceret. Licet enim, ſi poſita ſibi conſtent, ſuppliciter ſine ullo intermedio ad Deum accedere, quum a Chriſto Dominicam precationem docti ſimus. Attamen, ut ſingula perſequar, reſpondeo ad 1., oportere nos Sanctos omnes ea, qua diximus ratione, tamquam in Regno gerendo ſocios ſibi a

Deo

Digitized by Google

Deo adſcitos venerari & orare; quemlibet vero tutelarem Angelum ſuum, aut eum Sanctum, cujus patrocinio peculiariter fuerit commiſſus, aut ejus præſentem opem ſit expertus, præ ceteris autem Mariam, ut ex Idiotæ loco colligitur. Exſtat S. Ambroſii *lib. de vid.* de Angelis doctrina: *Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt.* Ad 2. multa ſunt præcepta, quibus certus quidam numerus aut tempora non ſunt conſtituta, veluti de fidei, ſpei, Dei amoris & Chriſti invocationis actibus eliciendis, etſi vera ſint præcepta. Oportet ſcilicet quemlibet, quo quisque ſtatu ſit, perpendere, neque diutius virtutum harum exercitationem intermittere, atque inſtante peccandi diſcrimine his ſe præſidiis munire. Idem de Mariæ & Sanctorum invocatione dicendum. Neceſſitas enim & pericula, quibus perpetuo ſumus expoſiti, officii noſtri, ut neceſſariam opem quæramus, admonebunt. Eccleſia quoque Catholica tot in Sanctorum & præſertim in Cælorum Reginæ honorem feſtis diebus & precationibus inſtitutis, immemores nos muneris noſtri eſſe non patitur. Ad 3. Fateor quidem, aliquando extra ordinem accidere poſſe, ut is, qui Mariam & Sanctos numquam invocaverit, ad æternam felicitatem pervenire poſſit, præſertim, ſi ut poſitum eſt, repentina morte quis occupetur. Inde tamen nullo pacto conficitur,

ſtlich erwisnermaſſen alle heilige inſgemein als unſere vorgeſezte Regenten, dan ein jedweederer ſeinen heiligen Schuz-Engel, oder jene heilige, deren Schuz wür benantlich übergeben worden, oder ſonſten erfahren haben, Mariam aber alle verehren, und umb ihren gnedigen beyſtand bitten müſſen, welches aus vorallegirtem Idiota unſchwär zuentnemmen. Von denen heiligen Schuz Engeln lehret es deutlich der heilige Ambroſius lib. de vid. Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt, *die Englen ſollen für uns angeruffen werden, die uns zu einen Schuz gegeben ſeynd: welches von anderen Schuz-Patronen auch geſagt werden mag ad (2) ſeyn vill gebott, die Kein gewiſſe zeit oder zahl beſtimmet haben, als wie von übung des glaubens, hoffnung, und liebe Gottes, von anruffung Chriſti &c. und ſeynd doch wahre gebott. Es mus nemblich alſo ein jewederer ſeinen eignen ſtand erforſchen und erſtlich, derley Act nicht zu lang unterlaſſen, dan auch bey anſtoſſenden verſuchungen und gefahr zuſindigen diſe mittel zu hülf nemmen. Ein gleiche beſchaffenheit hat es mit anruffung Marię und deren heiligen: die noth und gefahren, die uns immerdar überfahlen, werden uns ſchon unſerer ſchuldigkeit, die erforderliche hülff zuſüchen, erinderen. Es laſſet uns auch die Chriſt-Catholiſche Kürch durch ſovill zu ehren deren heiligen, haubtsächlich der himmels-Königin verordnete gebetter und angeſtelte feyrtag diſe pflicht nicht vergeſſen. Ad* (3) *will ich zwar nicht verneinet haben, das in ein und anderem auſſerordentlichen caſu einer, der Mariam und die heilige niemahlen angeruffen ſeelig werden Könne, ſonderlich den in angezeigten ſtellen der ſchnelle todt hinwecknimet; woraus aber umb ſo weniger ſich ſchliſſen laſſet, das wür durch Kein gebott darzu*

gehal-

tur, non exſtare ea de re mandatum, quum ſatis conſtet, alia quoque eſse mandata, quæ licet, ſive oblivione, ſive ſuperveniente morte, ſive ob impedimenta alia opere non impleantur, id tamen æternæ ſaluti officiat. Tunc enim obtinet quidem præceptum vim ſuam, etſi aliquando extra ordinem, qui id non ſervat, nullius criminis reus ſit. Mirum itaque mihi videtur, Muratorium, doctum Virum, loco a me recitato, tamquam rem peculiari animadverſione dignam in univerſum monere, neceſſe non eſse aut præceptum, Mariam & Sanctos invocare, etſi nulla ad id confirmandum argumenta proferat, niſi quod aliquando ſine invocatione illa ſalutem conſequamur. Hæc vero arguendi ratio a Jure-conſultis nequaquam probatur. *L. 80. ff. de Regulis Juris; Cap. 34. eod. in 6.* Quare priori meæ ſententiæ firmius adhuc adhæreo, oportere nos Mariam invocare ſuppliciter, ſine qua nemo ſalvus fieri poteſt, ea ipſa de cauſsa, quod SS. Patres uno conſenſu manifeſte doceant, neminem ſine Mariæ interceſſione cæleſtem gloriam adipiſci poſſe, atque iis ipſis, quæ poſita ſunt, evenientibus, Maria tamquam Advocata ex ſuperabundanti miſeratione ſua ſalutem æternam illis hominibus impetret. Ceterum, quod de illo objicitur, qui Sanctorum nullum aut Mariam reſpiceret, eſset hæc non excuſabilis inertia, & quæ gravi culpa non vacaret, præſertim quum ad id agendum quotidiana pericula nos admoneant, atque ipſa Catholica Eccleſia ſuo exemplo perpetuo urgeat.

Mul-

gehalten ſeyen, indeme es ja bekantlich mehrer gebott gibet, die einer aus verhindernus, übereylenden todt, oder ver geſſenheit nicht in das werck ſezen, vnd doch zur ſeeligkeit gelangen kan; maſſen das gebott in ſich ſelbſten vnd inſgemein bleibet, nur aber in auſſerer-dentlichen fählen einen auſnamb vnd entſchuldigung leydet. Ich wundere mich dan, das der gelehrte Muratori an obbemerckten orth als ein wichtige lehr allgemeiniglich, und in genere einbinde, das man nicht gebundten ſeye Mariam, oder die heilige anzuruffen, welches er doch ſelbſten nit anderſt probiret, als das man zuweillen ohne ſelbige ſeelig werden Kan. Welche Schlus-arth auch in denen Rechten Keines wegs gutt geheiſſen würd L. 80. ff. de Regulis Juris; Cap. 34. eodem in 6. *und bey allen deme bin ich der ſtandhafften meinung, das, weillen die heilige Vätter auſtrucklich vnd einhellig lehren, das niemand ohne fürbitt Mariæ der himmiliſchen glori theilhafftig werde, Maria auch in erzehlten begebenheiten aus antrib ihrer eignen überſchwenglichen barmherzig-Keit das ewige heyl als eine fürſprecherin zuwegen bringe: aber eben darumb ſeynd wür inſgemein ſchuldig, Mariam umb ihre fürbitt, ohne welcher Keine menſch ſeelig würd, diemuthig anzuflechen. Was ſonſten von deme eingemenget worden, der auf Keiner heiligen oder Mariam gedenckte, wurde ſolches bey ſo villen darzu habendem antriben, als nemblich unſeren ſtäts anfallenden groſſen anligenheiten vnd gefahren, dan alltäglichen exemplen vnd anmahnungen der Chriſt-Catholiſchen Kürchen ein ſo ſträfflicge hinläſſigkeit ſein, die von einer ſchwären sünd mit nichten entſchuldiget werden Kundte vill weniger Könte einer ohne beoba-*

chtung

Multo minus ſi officium hoc negligatur, ad abſolutam pietatem pervenire quis poſſet. Hactenus enim Sancti omnes tum in hac vita agentes, tum in cælo degentes ardentiſſime Mariam venerati ſunt & invocarunt. Hinc, ut dictum, Maria a Chryſoſtomo *Mater omnium Sanctorum* appellatur. Mira itaque ejus Sancti eſſet pietas, qui neſcio quo ſublimi ſpiritu actus, Mariam & ceteros Sanctos præteriret, & nimium arroganti confidentia familiarius cum Deo ſolo agere vellet. Ad 4. Etſi vetitum non ſit ad ipſum Deum ſine ullo intermedio preces fundere, oportet tamen ſæpius Mariam & Sanctos præter eum invocare, illosque orare, ut Deo O. M. infirmas exileſque preces noſtras, quas ad ipſum fundimus, offerant & commendent. Eodem pacto ad 5. ſolvi poteſt, quod de Oratione Dominica dicitur, niſi fateri velimus, neceſſum non eſſe, Chriſtum ipſum invocare, quod nulla ejus in Oratione Dominica mentio fiat. Quod supereſt, quum Chriſtus in eadem precatione nos doceat, ut cæleſtem *Patrem* veneremur, inde quoque colligere pronum eſt, oportere, ut *cæleſtem* quoque *Matrem* decente ratione in honore habeamus. *Honora Patrem & Matrem*. Unum monendum reſtat, ſimpliciores præſertim reſpiciens, vix ſolere hos quidem, quum dies Sanctorum honori ſacros celebrant, ad Sanctos attendere, aut, ut in ſcholis loquuntur, *reflexe* ad eorum honorem eos dies ſervare. Neque tamen dubitandum eſt, velle eos revera, feſtos dies, quos Sanctorum honori conſecratos eſſe non ignorant, pro offi-

cii

chtung diſer ſchuldigkeit zu einen vollkomenen oder heiligen ſtandt gelangen. Bishero haben alle heilige in ihrem leben Mariam und die heilige im himmel eyfrigiſt verehret und angeruffen, würd auch erwehntermaſſen Maria von Chryſoſtomo Mater omnium Sanctorum *genennet; ſo müſte dan wohl ein wunderbarlicher heiliger ſein, der aus weis nit was für einem hohen geiſt Mariam ſambt den übrigen heiliger alzeit umbgeben, und mit allzuübermüthiger verträulichkeit mit Gott allein gemeinſchafft haben wolte. Obwohlen uns dan ad* (4) *nicht verwehret iſt, auch gerad nach Gott unſer gebett abzulaſſen, ſo müſſen wür doch auch öffters Mariam und die heilige darneben anruffen und auch bitten, das ſye den allerhöcſten Gott unſer zu ihme gerichtes ſchwaches unwürdiges gebett vortragen und anbefahlen wollan, welche beſchaffenheit es auch* (5) *mit dem* Pater noſter *hat, wan wür nicht gar zugeben wollen, das weder ein notwendigkeit ſeye Chriſtum als von welchem auch in dem* Pater noſter *nichts ſtehet, anzuruffen. Ubrigens da uns Chriſtus gelehret mit diſem gebett unſeren himmiliſchen Vätter zuverehren, laſſet ſich aus deme weitters ſchliſſen, das wür auf gebührende arth unſer himmiliſche Mutter ehren müſſen:* Honora Patrem & Matrem *: ehre deinen Vätter und deine Mutter. Eines habe doch alda, ſonderbar die gemeine und einfältige leith betreffend, nicht unbemerckt laſſen wollen, das ſye zwar offt in haltung deren feyertagen mit Keinem ſonderen bedacht, oder, wie die gelehrte ſagen,* reflexe *auf die heilige gedencken, jedoch nit zuzweifflen ſeye, das ſye einen wahren willen haben, die feyertag, welche ſye wohl wiſſen zu ehren der heiligen eingeſtellet zuſeyn, ihrer ſchuldig-keit noch zuhalten, und*

Aa *dan*

dan hirmit die heilige zuehren; allermaſſen ein jedwederer, ſofern man ihne befragte, warum er dem Gottes dienſt beywohne, und auch mehrmahlen mit groſſer beſchwärlichkeit, wan die Kürchen weit entlegen ſeynd, darzugehe, vnd den tag hindurch nicht arbeithe? Zur antworth die urſach geben würd, weillen ein einem heiligen gewidmeter vnd gebottener feyertag iſt: und mithin all diſe wahrhafftig den wircklichen willen haben, auf ſolche arth den feyer tag vnd die heilige zu ehren, obwohlen ſye über diſen willen, ſo voluntas directa *genennet würd, vnd von welchem alle unſere freye werck entſprieſſen, Keine ſonderheitliche betrachtung oder reflexion machen, wie in vnſeren mit wahrem willen alltäglich vnternemmenden verrichtungen vnzählig offt geſchihet. Und auf diſe weis geſchihet auch dem gebott, die heilige zuverehren vnd anzuruffen (maſſen die verehrung ſelbſt die crafft hat, der heiligen Schuz zuerwerben) zum öfftern ein genügen. Was ad (6) von der vnermeſſenen gütte Gottes gegen vns eingewendet würd, erſcheinet ſelbige eben aus deme, das er, damit wür vnwürdigiſte deſte eheunter erhöret werden, vns ſolche hochmögende fürſprecher, als die heilige in dem himmel, vnd vorderiſt Mariam fürgeſtellet hat; er will auch die gütte gegen vns ſolchergeſtalten weiſen, das er zugleich die ehr deren heiligen, als welche er ſelbſten höchſtens ehret, laut jenem* Joan. c. 12. v. 26. Honorificabit eum Pater meus; *Mein Vätter würd ihne ehren, vnd vmb ſo mehr ſeiner heiligiſten Mutter auch bey vns durch ein gebott befördere. Endlich ad (7) Kan ich nit begreiffen, was vrſachen die gegner den einwurff, deſſen ſich die Kezer wider die verehr: vnd anruffung deren heili-*

cii ſui munere ſervare, atque adeo Sanctos in honore habere. Etenim nullus erit, ſi ea de re interrogetur, cur Miſſæ Sacrificio ea die interſit, idque ſæpe magno cum incommodo, præcipue ſi templum longe ſit ſitum, atque a manuum labore abſtineat: nullus, inquam, erit, qui non reſpondeat; id agere ſe, quod dies illa Sancto cuidam ſacra, & ſervari præcepta ſit. Itaque volunt hi revera atque ipſo opere hac ratione diem feſtum & Sanctos venerari, etſi huic *voluntati*, quæ *directa* dicitur, & ex qua opera noſtra omnia, quæ deliberato fiunt, proveniunt, peculiarem illam, quæ *reflexa* audit, non ſuperadjiciant, quod & quotidie, etſi revera munus noſtrum implere velimus, nobis accidere conſtat. Hac itaque ratione fit, ut & præcepto ipſi Sanctos venerandi & invocandi ſæpe fiat ſatis, quum veneratio ipſa vim habeat Sanctorum favorem nobis conciliandi. Ad 6. Quod de immenſa Dei erga nos bonitate objicitur, ea vel inde apparet, quod, ut preces noſtræ, immerentes licet, eo citius impleantur, eos nobis tamque potentes Advocatos, quales Sancti ſunt in cælo, & præ omnibus Mariam, conſtituerit. Bonitatem vero ſuam hactenus nobis oſtendit, ut tamen ſimul Sanctorum, quos ipſe honorat, ut eſt apud Joannem *cap.* 12. *verſ.* 26. *Honorificabit eum Pater meus*, tantoque magis Sanctiſſimæ Matris ſuæ honorem lege edita impoſuerit. Ad 7. Poſtremo ſane non capio, quid in mentem venerit illis, qui mihi adverſantur, ut argumento, jam pridem a Catholicis

Digitized by Google

licis Scriptoribus ſoluto, quo hæretici venerationem & invocationem Sanctorum impugnant, uti voluerint. Veriſſimum quidem eſt, Chriſtum ſolum eſſe, qui præcipuus Mediator ſit, & qui infinito merito ſuo pro reatibus noſtris ſatisfecerit, qualis nullus eſt, neque etiam eſſe poteſt. Neque tamen inde fit, ut Mariæ & ceterorum Sanctorum tamquam Advocatorum mediatio, excludatur, niſi hæreticis permittere velimus, eos nullo modo pro nobis orare, & fruſtra invocari. Sane qui pro alio orat, hic utique medius eſt inter utrumque, & Mediator vocari poteſt. Hac de cauſſa Maria primo Eccleſiæ ſæculo a Dionyſio Areopagita, teſtibus Brigittæ Revelationibus jam recitatis, atque ab Epiphanio, quarto ſæculo, *cæli & terræ Mediatrix* appellatur. Quinto vero ſæculo Baſilius Seleucus *Orat. in Annunc.* ita Mariam alloquitur: *Ave, quæ inter Deum & homines Mediatrix intercedis*. Huic reſpondent loca ex Joanne Damaſceno & Bernardo a me ſuperius allata, quibus Maria dicitur *Mediatrix ad Mediatorem*. Conſentit Guerricus Igniacenſis *Sermon. 1. de Aſſumt. Nihil veneratur*, inquit, *ſupra ſe Mediatrix noſtra Maria niſi Mediatorem ſolum*. Hac igitur ratione Maria quoque Advocata noſtra eſt, quam ei appellationem dederunt ſecundo ſæculo Irenæus, pluresque alii

Pa-

heilig:n bedienen, vnd längſthin von ſeithen der Catholiſchen Kürchen abgethan iſt, allda zu ihren Waffen ergreiffen. Es iſt ganz wahr, das Chriſtus der einzige haubt-Mittler iſt, der durch ſeine vnendliche verdienſt für vnſere sünd genug gethan, vnd Kein ſolcher mittler iſt, vnd Kan ſonſt niemand ſeyn; aber hirdurch würd die vermittlung Mariæ vnd anderer heiligen als fürſprecher vmb deſto minder auſgeſchloſſen, als ſonſten denen Kezern eingeſtandten werden müſſe, das ſye für vns gar nicht bitten, vnd alſo vergeblich angeruffen werden, dan der bey jemand für den anderen bittet, der Kommet ja zwiſchen ſelbige in das mittel, vnd iſt ein mittler. Dahero würd Maria in dem erſten ſæculo von Dionyſio Areopagita, *zeug ſchon bemelter offenbarung der heiligen Brigittæ, und widerumb von dem heiligen Epiphanio, den ich aus dem vierten ſæculo, nemblich nach den erſten drey hundert jahren in meiner anred angezogen*, cæli & terræ Mediatrix, *ein Mittlerin himmels vnd der erden genennet. In dem fünfften ſæculo hat* Baſilius Seleucus Orat. in Annunc. *zu Mariam geſprochen:* Ave, quæ inter Deum & homines Mediatrix intercedis; *ſeye gegrüſt, die du zwiſchen Gott vnd denen menſchen als eine mittlerin Kommeſt. Gleichlautende ſtellen habe auch beygebracht aus* Joanne Damaſceno, *vnd* Bernardo, *welcher leztere ſagt, das Maria ſeye* Mediatrix ad Mediatorem *ein Mittlerin zu dem Mittler; deme beyſtimmet* Guerricus Igniacenſis Sermon. 1. de Aſſumt. Nihil veneratur ſupra ſe Mediatrix noſtra Maria niſi Mediatorem ſolum, *nichts verehret ober ſich Maria vnſer Mittlerin, als den einzigen Mittler. Und auf ſolche arth iſt Maria ja auch vnſer Advocatin, ſo nichts anderes als eine für-ſprecherin ſaget; welchen titul ihr nach dem erſt-hundert jahren, nemblich in dem anderten ſæculo der angeregte heilige* Irenæus, *dan vill andere heilige*

Vätter, als in dem vierten ſæculo der heilige Ephrem in Lamentat. Sanctiſs. Dei Genitricis prope Crucem ſtantis, *und ſonſten unſer* Hermannus Contractus *in beſagten von der Kürchen angenommenen und vorgeſchribenen* Salve Regina, *der heilige Bonaventura* lib. 3. Sent. diſt. 3. *item* cit. lib. qui inſcribitur, viginti quinque mirabilia, *und unzahlbar andere von der ganzen Catholiſchen gemeinde beylegen; den merckwürdigen ſpruch des heiligen* Thomę a Villanova Concion. 3. de Annunc. *habe alda inſonderheit anzufügen nicht umbgeben Können*, Opus enim eſt habere Matrem Advocatam ad Filium; *notwendig iſt, ſagt er, dar wür die Mutter für eine Advocatin haben bey dem Sohn. Was hierdurch der ehr Gottes odes des heylands im mindiſten benommen, Kan ich umb ſo weniger findsen, indem wür alle Mariæ und denen heiligen erzeigende ehr und anruffung zu unſeren Heyland und allerhöchſten Gott richten, auch alle gnaden, und die ſeeligmachung allein von ihme, doch durch fürbitt der heiligen zuerlangen, einvolglich durch verehrung der Gott geliebtiſten heiligen, und ſonderbar ſeiner glorwürdigiſten Mutter, die mehrere ehr Gottes, und die erfüllung ſeines allerheiligiſten willens ſuchen; weſſentwegen Leontius* l. 5. Apolog. contra Judæos, *deſſen ſchrifften in dem anderten* Concilio Nicæno Act. 4. *approbiret worden, ſchreibet:* Qui Martyrem colit, Deum ipſum colit, qui Matrem illius adorat, ipſi honorem aſſignat, *der einen Martyrer verehret, verehret Gott ſelbſten, der zu ſeiner Mutter ein gebett verrichtet, thut ihme die ehre erweiſen, deme der heilige Bernardus* homil. 4. de adventu Domini *beypflichtet:* Non eſt dubium quidquid in laudibus Mariæ proferimus, ad Filium pertinere, & rurſum, cum Filium honoramus, a gloria

Patres, veluti quarto ſæculo S. Ephrem *in Lament. Sanctiſs. Dei Genitricis prope Crucem ſtantis*. Atque præterea noſter Hermannus Contractus in Antiphona *Salve Regina* ab Eccleſia recepta & præcepta, S. Bonaventura *lib.* 3. *Sent. diſt.* 3. item *cit. lib.* qui inſcribitur, *Viginti quinque mirabilia*. Memorabile vero eſt, atque a me non prætermittendum S. Thomæ Villanovani *Concion.* 3. *de Annunc.* teſtimonium: *Opus enim eſt*, inquit, *habere Matrem Advocatam ad Filium*. Quid vero inde Servatoris aut Dei honori vel minimum decedat, plane non intelligo, quum invocatio omnis & honor Mariæ atque Sanctorum ad Servatorem noſtrum ipſumque Altiſſimum dirigatur, gratiasque omnes, ipſamque æternam felicitatem ab ipſo ſolo, orantibus tamen & intercedentibus Sanctis, exſpectemus, atque proinde Sanctos Deo cariſſimos, & præ ceteris glorioſiſſimam Matrem ſuam venerando nil aliud quæramus, quam majorem Dei honorem, & ut ejus Sanctiſſima voluntas impleatur. Hinc Leontius *lib.* 5. *Apolog. contra Judæos*, cujus ſcripta in altero Nicæno Concilio Act. 4. probata fuerunt, ait: *Qui Martyrem colit, Deum ipſum colit, qui Matrem illius adorat, ipſi honorem aſſignat.* In eamdem ſententiam ſcribit Bernardus *homil.* 4. *de adventu Domini: Non eſt dubium, quidquid in laudibus Mariæ proferimus, ad Filium pertinere, & rurſum, quum Filium*

bono-

ria

honoramus, a gloria Matris non recedimus. Hic idem mellifluus Doctor cautionem omnem adhibuit, ne honorem ullum Mariæ tribueret, qui in divinitatis injuriam cederet. Quapropter *Epiſt.* 174. conceptis verbis ait: *Honor Reginæ judicium diligit; Virgo Regina falſo non gaudet honore, veris cumulata honorum titulis.* His tamen permotus non eſt idem Bernardus, ut eam ſibi Mediatricem ad Mediatorem appellare licere non putaret, pluribusque locis aliis, quorum aliquot in Oratione mea adduxi, clariſſime doceret, nos ſine Mariæ interceſſione ad ſalutem æternam pervenire non poſſe. Unum mihi ſupereſt animadvertendum, ſi ut Mariam Sanctosque venerari & invocari præcepto quodam cogamur, divino honori adverſaretur: id ſane nec Deus ipſe lege edita nobis poſſet imponere. Verum, amabo, quis hoc affirmare umquam auſurus eſt? Ego quidem exiſtimo, hominem hujusmodi Dei omnipotentiæ nimis anguſtos fines præſcribere. Ruit itaque funditus eorum, qui mihi adverſantur, argumentum, atque immotum reſtat, quod poſui, oportere nos Sanctos & præcipue Mariam venerari & invocare, ita tamen ut in omnibus

Laudetur Jesus Christus.
Amen.

ria Matris non recedimus; *es iſt kein zweifel, das, was wür immer von dem lob Mariæ ſagen, auch dem ſohn gehöre, und widerumb, wan wür den ſohn verehren, weichen wür nit ab von der glori der Mutter. Es hat der hönigflüſſende Bernardus ſelbſten alle behutſambkeit gebrauchet, Mariæ nichts zum nachtheill de Göttlichen ehre zuzueignen, weſſentwegen er* Epiſt. 174. *auſtrucklich erinneret:* Honor Reginæ judicium diligit; Virgo Regina falſo non gaudet honore, veris cumulata honorum titulis, *die ehre der Königin liebet die beſcheidenheit, die königliche Jungfrau hat Keine freud an falſcher ehr, die mit wahren ehren-titulen überhäufft iſt: welchem ungehindert der heilige Bernardus ſye eine Mittlerin zu dem Mittler benambſet, und in vill anderen ſtöllen, deren ich eine in der anrede auf die bahn gebracht, auf das clariſte lehret, das wür ohne fürbitt Mariæ nicht Können ſeelig werden. Ich beſchlieſſe es noch mit einer anmerckung: wan es der göttlichen ehr widerſtrebete, das wür Mariam und die heilige zuverehren, und anzuruffen ſchuldig ſein ſollen, ſo Kundte es nicht einmahl Gott durch ein gebott uns auferlegen, aber, nein! wer würd diſes zubehaubten ſich unternemmen; ich halte darvor, das ein ſolcher der höchſten Vollmacht und bottmäſſigkeit Gottes allzugroſſen abbruch thäte. Fallet demnach das ganze gegenſeitliche fundament; und ich bleibe feſt der genzlichen meinung, das wür die heilige, und vorderiſt Mariam zuverehen und anzuruffen ſchuldig ſeyen, doch das in allen*

Gelobt sey Jesus Christus.
Amen.

Animus

ANimus erat ad fidem in Vindiciis ſparſim dictis faciendam deſcribere hoc loco curare epiſtolas quaſdam a Sycophantis conſcriptas, tum & monumenta alia facinorum ab eis perpetratorum. Ceſſi tamen quorumdam judicio, qui & hominibus peſſime de ſe meritis parcendum eſſe cenſuere. Locum tantum adſcribam ex Commentario in Pſalmos nuper edito, de quo mentio facta eſt, dum ad Syllogen Teſtimoniorum præfarer. Libri hæc eſt inſcriptio: Pſalterium Davidis explanatione litterali & myſtica in modum meditationum affectuoſe dilucidatum. Auctore Dn. Nonnoſo Monaſterii Attilenſis in Bavaria Abbate. Pars I. Monachii typis Joan. Jacobi Vötter MDCCXLI. *Ad Pſalmum 45. v. 1. pag. 364. hæc leguntur: „Colliges hinc facile, o Anima, quanta ſit neceſſitas Mariam amandi, venerandi &c. Num porro omittens ejusmodi devotionem, æternam damnationem incurreret (prout anno hoc currente defendit ex Scriptura & SS. Patribus Clariſs. P. Placidus Böckhn Ord. S. Bened. p. t. Univerſitatis Salisb. Procancellarius contra D. Ludovicum Ant. Muratorium, qui in ſuis Spiritualibus Exercitiis pag. 220 nullam agnoſcit obligationem vel neceſſitatem Mariam vel alios Sanctos invocandi) nos commodius dicemus in parte altera Pſalmorum, & præſertim in Canticis Canticorum, quæ alias a multis cum Cornelio a Lapide de B. V. Maria puriſſima Dei Sponſa ex inſtituto exponi ſolent.“ Hactenus Attilenſis Abbas.*

INDEX CAPITUM

Et Contentorum hoc Volumine.

CAP. I. *SCribendi occaſio & neceſſitas.* pag. 1.

CAP. II. *Sycophantæ deſcribuntur. Juvavienſium motuum origo.* pag. 6.

CAP. III. *Reliquæ Sycophantarum facinora.* pag. 9.

CAP. IV. *Quæ hujus ſcripti ratio, quodve argumentum.* pag. 20.

CAP. V. *Phrynondæ Oratio excutitur. Legem de Sanctis & Maria præſertim invocandis extare vult. Alii cum eo conſentiunt. Oratio inſcio Principe editur. Habetur ruri coram imperitis auditoribus. Conciliorum hac de re Decreta. Directa eſt in Muratorium & Juvavienſes Eruditos. Horum odio, non Mariæ honore permotus Phrynondas Orationem habet & edi curat. D. Caroli Borromæi hac de re locus. Quæ poſt editam Orationem ſequuta ſint. Tota Oratio non de morali Mariam invocandi neceſſitate, ſed de lege agit.* pag. 24.

CAP. VI. *Diſquiritur de Concilii Trid. Decreto Seſs. XXV. Phrynondas novatorem ſe eſſe fatetur. Tacet de lege Tridentinum. Theologi leges ferendi poteſtatem non habent. Veri Theologi munus ex Baſilio, Nazianzeno & Vallenburchiis deſcribitur. Phrynondæ inſcitia in eruenda Tridentini mente. Proteſtantium dicta de lege hac. Vim rurſus facit Tridentino Phrynondas; Paulli V. Formula ei non favet. Vallenburchiorum de illa ſenſus. Voces hæ* venerandos, invocandos, impertiendam, *legem & neceſſitatem non indicant. Quis Latinæ Linguæ genius ea in re ſit.*

Quæ-

Quædam de Grammatices ſtudio . Phrynondæ argumentum ex Canon. 7. Seſs 13. Concil. Trident. ſumtum exploditur . Phrynondas acerbiores ex Proteſtantibus ſententiæ ſuæ ſocios habet . De abuſu Dialecticos atque Ariſtotelicæ Philoſophiæ circa religionem Baſilii & Nazianzeni loca . pag. 30.

CAP. VII. *Thomæ Aquinatis locus a Phrynonda male intellectus. Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ Platonica ſententia , atque de ea Alexandri Alenſis judicium . Huic opponuntur Chryſoſtomi , Hilarii , & Bernardi loca . Phrynondæ inſcitia in rerum naturalium ſcientia . Enorme ejuſdem dictum de nimia cum Deo familiaritate cavenda . Refellitur id SS. Litterarum & D. Bernardi auctoritate . Solvitur argumentum a Miſſarum Collectis , Hymnis , & diebus Feſtis acceptum . F. Suarii de his ſententia . Fruſtra lex probatur ex Symboli Apoſtolici capite de SS. Communione . Sancti pro nobis orant etiam non invocati . Bernardi dicta huc facientia . Patrum univerſorum conſenſum jactat , non probat Phrynondas . Veteres unum Mediatorem Chriſtum agnovere . Auguſtini de hoc doctrina & Lud. Thomaſſini locus .* Virtualis, *quam vocat*, contemtus *exſibilatur . Auguſtini locus ſuppoſititius a Phrynonda adducitur . Euſebio Alexandrino locus alius perperam ab eodem tributur .* pag. 41.

CAP. VIII. *Univerſorum Patrum conſenſionem de Mariæ neceſſario invocandæ lege infeliciter oſtendere molitur Phrynondas . Quædam de Brigittæ & Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ ſcriptis ex Baronio & Melch. Cano aliiſque .* Mediatrix *Maria quo pacto poſſit appellari . De appellationibus quibuſdam Deo cum rebus creatis communibus . Paulini Nolani locus . Mariæ honores e Matris dignitate proveniunt , fatente Petavio . Solus Auguſtino Chriſtus Mediator . Ceteri minus proprie Mediatores dicuntur Vallenburchiorum judicio , quod & ex D. Paullo confirmatur . Trium priorum ſæculorum diſciplina circa SS. invocationem ex Origene illuſtrata . Inter nos & Proteſtantes quæritur tantum , liceatne Sanctos invocare , ut cenſent Vallenburchii . Nihil conficitur ex Irenæi loco , quo Maria* Advocata *appellatur. Advocatus noſter Chriſtus ; & Maria quoque quadam tamen ratione . Origenis loco ſuppoſititio utitur Phrynondas . Quæ ſit & Tertulliani genuina ſententia . Inter quarti ſæculi Patres Athanaſio Sermonem* de Deipara *inſcite tribuit Phrynondas , quemadmodum & Baſilio* Liturgiam, *atque Epiphanio Serm.* de Laudibus Deiparæ. *Sermo* de Aſſumtione *nec Hieronymi eſt nec Sophronii . Quintum ſæculum adſcititio tantum Auguſtini loco prolato plane præterit Phrynondas . Idem tamen ex Sacris Litteris explicatur . Andreas Cretenſis non ad ſextum , ſed ad octavum ſæculum pertinet .* pag. 51.

CAP. IX. *Canones quidam de Patrum uſu & interpretatione ex D. Thoma , Melch. Cano , Sixto Senenſi , Petavio , Mabillonio , Dupinio , & Muratorio . Baronii & Bellarmini in Patrum ſententiis improbandis libertas.* p. 63.

CAP. X. *Gregorii M. Sermo* de Annunciatione *ejus non eſt . Sitne Maria Gregorio* Arca Fœderis ? *Quo pacto id de Maria dici poſſit . Ad Salazarii dictum quædam notata . Gregorii M. de SS. invocandis ſententia .*

Syco-

Sycophantæ Divinis Scripturis abutuntur. Catholici Scriptores jam pridem malo huic obſtitere. Sycophantæ minus ſuperſtitioſos hæreticorum loco habent. Qui ſint vere Orthodoxi Theologi? Archiepiſcopi Salisburgenſis Edicta Phrynondæ non favent. Martini I. genuina ſententia ex Actis Concilii Lateranenſis eruitur. pag. 71.

CAP. XI. *Ildephonſus Toletanus incertum eſt, num Benedictinus fuerit; Sermo vero* de Aſſumtione *certo ejus non eſt, explicatur tamen. Phrynondæ circa Germanum CP. turpis quingentorum annorum anachroniſmus. Rejicitur audax dictum de Maria in Sermone* de Zona *Germani Junioris. Ridiculus eſt Phrynondas Damaſcenum Ordini ſuo adſcribens, & ſuppoſititia ſcripta Damaſceno tribuens. Quo ſenſu Maria* Regina *dici poſſit. Phrynondæ de Idiota frigidior jocus, & uovus quingentorum annorum anachroniſmus. Ei & Odiloni Sacræ Litteræ & Canones de uſu Patrum opponuntur. Homilia* de Nativitate *non eſt Petri Damiani, nec Anſelmi liber* de excellentia B. V. *Bernardi loca quædam expenduntur & explicantur aliis Bernardi dictis oppoſitis. Sycophantæ, quod peſſimum eſt in Veteribus, eligunt. Richardi a S. Laurentio, Alberti M., & Bonaventuræ locis obviam itur. Eximium Bonaventuræ dictum in medium adducitur. Quantum Thomæ Aquinati ſit tribuendum? Sex poſt Thomam ſæcula injuria præterit Phrynondas. Calumniam renovat de rejecta Cantione* Salve Regina & Matris Miſericordiæ *appellatione. Mala inde enata. Fruſtra ſe Sycophantæ Mariæ nomine tegunt. Quo ſenſu Maria* Univerſorum Mater *dici poſſit. Inepta Phrynondæ arguendi ratio, & vis Decalogi tabulis illata. Guerici Igniacenſis declamatio refellitur. Sixti Senonſis de declamatoribus dictum. Gregorii VII. & hodierni Salisburgenſis Archiepiſcopi auctoritas a Phrynonda fruſtra uſurpata. Veterum dicta ad normam prioris doctrinæ exigenda. Expenduntur Cyrilli & Sulpicii Severi loca quædam. Phrynondæ Oratio Juvavii a prudentioribus inter Benedictinos non probata.* pag. 87.

CAP. XII. *Phrynondæ peroratio ſub examen revocatur. Ejus errata perſtringuntur. Idem Sacri Oratoris, Orthodoxi Theologi, boni Civis, & honeſti viri nomine eſt indignus. Nullas eum niſi peſſimas litteras ſcire per ſingulas diſciplinas eundo oſtenditur. Ejus ceterorumque Sycophantarum facinora acerbiorem cenſuram promerita ſunt. Vindiciarum harum neceſſitas & utilitas. Nullum ex his Juvavienſi Univerſitati aut Civitati detrimentum infertur. Laudatur Benedictinus Ordo, & quidam Juvavienſes Monachi e Sycophantarum numero eximuntur. Hortatio ad Scholarum emendationem. Num legibus in Vindicias has uti poſſint Sycophantæ?* p. 100

Sylloge teſtimoniorum e Catholicorum Scriptis. pag. 119.

Admonitio ad Lectorem. pag. 121.

CLASSIS I. *eorum qui Latine ſcripſerunt.* pag. 125.

CLASSIS II. *eorum qui Germanice ſcripſerunt.* pag. 137.

CLASSIS III. *eorum qui Gallice ſcripſerunt.* pag. 142.

CLASSIS IV. *eorum qui Italice ſcripſerunt.* pag. 145.

Phrynondæ Oratio. pag. 150.

J. CASPERI

SPECIMEN DISSERTATIONIS

DE

XENOPHONTE EPHESIO.

Digitized by Google

- - - „ arbuſta juvant, humileſque myricæ. „

P. VIRGILIUS *Ecloga* 4. *v.* 2.

J. CASPERI
SPECIMEN DISSERTATIONIS
DE
XENOPHONTE EPHESIO.

§. I. *De iis, qui Xenophontis hujus meminerunt, eum ediderunt, interpretati ſunt, & illuſtrarunt.*

MIRUM eſt, Photium Xenophontis Epheſii nullam mentionem facere, licet Eroticos Scriptores ceteros in Bibliotheca ſua non prætermiſerit. Solus itaque veterum ejus meminit Suidas his verbis: Ξενοφῶν Ἐφέσιος. Ἐφεσιακά. ἐςὶ δὲ ἐρωτικὰ βιβλία ί περὶ Ἀβροκόμου καὶ Ἀνθίας, καὶ περὶ τῆς πόλεως Ἐφεσίων, καὶ ἄλλα. Jam eſt a Salvinio animadverſum, apud Suidam corruptam eſſe numeri notam, atque legendum βιβλία έ. Altum deinde fuit de hoc Scriptore ſilentium uſque ad Angeli Politiani tempora, qui *Miſcellaneorum cap.* LI. locum ex eo exſcripſit, vocatque hunc Athenienſi illo non inſuaviorem. Locus hic Politiani non fugit modo Voſſii, & Grotii diligentiam, illius Opere *de Hiſtoricis Græcis*, hujus *Comment. ad Epheſ.* IV. *v.* 29, ſed & quod mirum, & a Salvinio non animadverſum, Huetii ipſius curioſam circa hæc induſtriam libello *de fabulis Romanenſibus*. Exiſtimarunt ſiquidem, Xenophontis hujus ſcripta penitus interiiſſe. Conjectura etiam feſellit Grotium & Huetium, qui Scriptoris noſtri libellos laſcivos, & ad epopœjæ leges exactos fuiſſe arbitrabantur. Primus poſt Politianum libros hos adhuc extare Florentiæ deprehendit Vir longe celeberrimus Bernardus Montfaucon *Itineris Italici p.* 365. Poſt eum de Xenophonte edendo cogitavit Gisbertus Cuperus, teſte Fabricio *Bibl. Græc. Tom.* 14. *præf.* Italice deinde ab Antonio Salvinio doctiſſimo Viro verſus eſt, ejusque interpretatio Londini edita anno MDCCXXIII. Poſtremo Ant. Cocchius Vir eruditus Græce & Latine eumdem Londini edidit anno MDCCXXVI. Spem

a 2 præ-

præterea fecerunt Acta eruditorum Lipſienſia, eum cum Charitone Aphrodiſeo, qui Florentiæ adhuc in tenebris latet, a Cl. Brencmanno rurſus editum iri. Meminerunt quoque Xenophontis noſtri Trevoltianæ Ephemerides. Plurima ejus loca emendantur & illuſtrantur in *Miſcellaneis obſervationibus in veteres Scriptores*, quæ apud Batavos eduntur. Ferunt & Salvinium latinam interpretationem molitum eſſe. Anglice quoque a Roockio eſt converſus. Aliane vero ſcripſerit Xenophon præter libros hos, dubitari poſſet ex Suidæ verbis, quæ eum de urbe Epheſiorum, aliisque commentatum fuiſſe ſignificare videntur. Verum illa ita accipi poſſunt, Epheſiacorum libellum, præter Abrocomæ & Anthiæ amores, plurima quoque de Epheſiorum urbe aliisque memorare, haud ſecus atque Xenophontes Babylonius & Cyprius, & Ariſtides Mileſius libros *Βαβυλωνιακῶν*, *Κυπριακῶν*, & *Μιλησιακῶν*, ſcripſerunt, Heliodorus vero Æthiopicorum.

§. II. *De Xenophontis Epheſii ætate.*

NUlla exiſtimat Salvinius *Epiſt. edit. Ital. præmiſſa* in Scriptoris hujus opere deprehendi poſſe ætatis ejus veſtigia. Cocchius vero *Epiſt. ad Theophil. Haſtingum*, & Fabricius *Præfat. Tom.* XIV. *Bibl. Græc.* Heliodoro atque Achille Tatio antiquiorem faciunt, aut certe æqualem. Nulla tamen ſententiæ ſuæ argumenta proferunt. Præterea Heliodori & Achillis Tatii ætas valde incerta eſt, ut parum id ad Xenophontem, atque tempus quo ſcripſit inveſtigandum conducere poſſit. Nobis videtur circa Antoninorum tempora, poſt devictum tamen a Severo Peſcennium Nigrum, floruiſſe. Etenim primus Eroticarum Hiſtoriarum Scriptor Antonius Diogenes fuit, qui teſte Photio *Biblioth. Cod.* 166. circa Alexandri M. tempora vivebat, quidquid Vavaſsor *lib. de ludicra dictione cap.* 9. ſecus exiſtimaverit, merito ab aliis reprehenſus. Ad poſteriora itaque tempora ſpectat Auctor noſter. Sed nec regnantibus M. Alexandri ſucceſſoribus floruit, quum Præfecti Auguſtalis in Ægypto mentionem faciat *lib.* 4. *p.* 56. 58. 59. 67. & 70. Ἄρχοντος τῆς Αἰγύπτου, καὶ *διοικοῦντος τὴν Αἴγυπτον*. Conſtat

ſtat vero ex Svetonio *Octavio cap.* 18, Dione *Hiſt. lib.* 53. & ex Pandectarum Titulo *de Præfecto Auguſtali*, Magiſtratum hunc ab Auguſto primum fuiſſe inſtitutum. At, Xenophontem longe poſt Auguſti tempora ſcripſiſſe, illud demonſtrat, quod meminerit non uno loco navigationis & commercii inter Æthiopiam & Indos *lib.* 3. *pag.* 52. & *ſeqq.* Teſtatur autem Plinius, recentiorem fuiſſe hujus commercii notitiam. Ait enim *lib. 6. Nat. Hiſt. cap.*22 : *Nobis diligentior notitia Claudii principatu contigit*, & *cap.* 23 : *Nunc primum certa notitia patc-ſcente*. Ex his locis conficitur, navigationem hanc circa Titi tempora in vulgus primum notam fuiſſe. Quare nec Xenophon Tito antiquior erit. Trajano vero non majorem eſſe, illud eſt argumento, quod Perilaus ab eo appelletur τῆ εἰρήνης τῆ ἐν Κιλικίᾳ προεςὼς, & rurſus ἄρχειν ἐχειροτονήθη τῆς εἰρήνης τῆς ἐν Κιλικίᾳ. *lib.* 2. *pag.* 36. *&* *ſeqq.* *lib.* 3. *pag.* 50. quem locum Salvinius ita eſt interpretatus: *Preſidente della pace*; & Cocchius: *Præfectus paci ſervandæ*. Uno verbo dicere poterant, fuiſſe *Irenarcham*. Nemo vero ignorat, nullam Irenarcharum inveniri mentionem ante Trajani imperium. Vetuſtiſſimum enim, quod eorum meminerit, monumentum eſt Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis, Polycarpi ſupplicium deſcribens. Huic ſuccedunt reſcripta quædam Hadriani & Antonini Pii apud Marcianum *lib. 6. D. de cuſtodia reorum*, atque teſtimonium Ariſtidis Sophiſtæ apud Uſſerium ad Acta Polycarpi. Irenarchæ ſublati fuerunt A. C. 409. ſive Honorio VIII. & Theodoſio III. AA. COSS. *L. unica Cod. Theodoſ. de Irenarchis*. Facile itaque inde ducitur, Xenophontem ante Honorium & poſt Trajanum atque Hadrianum, aut ſummum his regnantibus ſcripſiſſe. Verum Anonymus auctor *Obſervationum* ad hunc Xenophontem in *Miſcellaneis* Collectionis Batavæ *Vol.* 5. *Tom.* 1. *pag.* 26. contendit, loca hæc de Irenarchis non eſſe accipienda, ſed Perilaum magiſtratum geſſiſſe *Irenopoli* Ciliciæ urbe latronibus perſequendis deſtinatum, quod munus, ſi eum audiamus, Irenarcharum non erat. Nititur is repetitione articuli τῆς εἰρήνης τῆς ἐν Κιλικίᾳ, qui, ait ipſe, utique redundaret, ſi Xenophon Irenarcham tantum deſignaſſet. Verum, quum intelligat, Irenopolim numquam Εἰρήνην appellatam fuiſſe, tuetur ſe exemplis

aliis,

aliis, ut *Trajana* loco Trajanopolis. Ipſe tamen conjecturis ſuis diffidit. Fatetur enim Perilaum non Irenopoli, ſed Tarſi ſedem ſuam habuiſſe, quod ex *lib.* 2. *pag.* 36. & *ſeqq.* videre eſt. Præterea Marcianus dicta *L.* 6. *D. de cuſtodia reorum* ait: „ Irenarchæ, quum apprehenderint latrones, interrogent eos „ de ſociis & receptatoribus. “ Ex quo loco patet, non alterius Magiſtratus, ſed Irenarcharum fuiſſe latrones & viarum graſſatores perſequi & apprehendere. Idem probari poteſt locis a Briſſonio *de Verbor. ſignificat.* ex Auguſtini Epiſt. 159 & 160 allatis, unde intelligimus, Circumcellionum crimina ad Irenarchas fuiſſe delata. Circumcelliones vero latrocinatos fuiſſe, oſtendit Ittigius *Hiſt. Donatiſt. cap.* 79. 80. 81. & 82. Quin & articulum, quo potiſſimum fundamento nititur Anonymus, hoc loco redundare non exiſtimamus. Demonſtrat enim non quemcumque Irenarcham, ſed eum, qui in Cilicia eo munere fungebatur. Etſi autem fatendum ſit, eam eſſe vim articuli, ut, ſi repetatur, amplius quid, quam, ſi ſemel poſitus eſſet, ſignificet: attamen tanta non eſt, ut ubique novum aliquid & inexpectatum ſubeſſe ſit exiſtimandum. Ita Attici ea repetitione ſæpe utuntur elegantiæ præcipue cauſſa. Veluti apud Ælianum *lib.* 2. *Var. Hiſt. cap.* 40: Πίθηκος δὲ καὶ ἐλέφας, ἐὰν οἶνον πίωσιν, ὁ μὲν τῆς ἀλκῆς ἐπιλανθάνεται ὁ ἐλέφας, ὁ δὲ τῆς πανουργίας. Vide ibi Perizonium, & Vigerum *de Idiotismis cap.* 1. *reg.* 1. Poetæ vero ſæpe repetunt articulos, quod quædam major in eo venuſtas ineſſe videatur. Conſule H. Stephanum ad Anacreontem *carm.* 40. *v.* 14. Alias, ſi Anonymo fides eſſet habenda, locus ille Xenophontis noſtri *Lib.* 2. *pag.* 37, de quo poſtea agemus, ubi Salvinii interpretationem ſub examen revocabimus, οὐ πρὸ πολλοῦ τοῦ ἄντρου τοῦ λῃστρικοῦ, non ita eſſet legendus, ſed τοῦ Ἰσαύρου, ut male Salvinius vertit. Fortaſſis etiam non quemcumque Ciliciæ Irenarcham, ſed eum qui Tarſi Metropoli Ciliciæ Urbe eum magiſtratum gerebat, deſignare Xenophon voluit. Singulæ enim Urbes ſingulos Irenarchas habebant. Sæpe autem totius provinciæ nomine pro principe Urbe abutimur, fere ut Athenæ Ἑλλάδος Ἑλλὰς in Euripidis Cenotaphio dicuntur. Quod ſi alicubi Trajanopolis *Trajana* dicta eſt, vox *Colonia* ſubauditur, quod vel ex Itinerario Antonini colli-

colligimus. Tutum etiam non eſt, ubi de vocibus & locorum præſertim nominibus agitur, hujuſmodi argumentum. Neque enim ſola ſimilitudo & analogia ſpectanda eſt, ſed uſus maxime, qui in his dominatur, & pro varietate locorum varius eſſe poteſt, eſt reſpiciendus. Aliis itaque veterum locis probare debuiſſet Anonymus, Irenopolim Ciliciæ urbem Ἐιρήνην dictam quoque fuiſse. Poſtremo capitalis eſt locus *lib.* 3. *pag.* 50, qui univerſas Anonymi rationes ſubvertit. Ait ibi Xenophon: ἀνὴρ τῶν τὰ πρῶτα δυναμένων ἄρχειν ἐχειροτονήθη τῆς εἰρήνης τῆς ἐν Κιλικίᾳ. Si enim loco hoc Ἐιρήνη, ut ſcribi jubet Anonymus, urbis eſset nomen, vertere oporteret, *Perilaum virum e primoribus electum fuiſſe Præfectum urbis Irenopolis in Cilicia*. Verum id ſæculorum illorum conſuetudini adverſatur. Mos enim ſingulis oppidis Præfectos ſeu Magiſtratus alios præficiendi Romanis ignotus fuit, atque barbaris Principibus, qui in Romanorum locum ſucceſserunt, originem debet, ut oſtendit Grotius *Proleg. in Procopii Gothica*. Hinc illæ Lactantii querelæ de Diocletiano: „ Et ut omnia terrore complerentur, „ provinciæ quoque in fruſta conciſæ, multi præſides, & plu„ ra officia ſingulis regionibus, ac pæne jam civitatibus incubare. „ *Lib. de mortib. perſecut. cap.* 7. Etenim ſub Romanorum dominatione Provinciarum Urbes a Metropoli pendebant, ubi Præſes aut Proconſul ſedem ſuam habebat, neque magiſtratus alios niſi Decuriones noverant, ſi eas, quæ αὐτόνομοι dicebantur, excipias, quibus ſui erant Archontes & Demarchi. Proconſules enim provinciam circumibant, & ſingulorum controverſias ipſi cognoſcebant, quod *forum habere* dicebatur. Hæc quidem notiora ſunt, quam ut hic commemorari debuerint. Verum prætereunda eſse non duximus, ut eo clarius conſtaret, Perilaum Irenopoli Magiſtratum non geſſiſse. Quin etiam vox illa ἐχειροτονήθη indicat, eum Roma miſsum non fuiſse, ut Præſides, ſed a civibus ſuis electum; quod ſane apte cadit in Irenarchas, qui juxta Imper. Honorium *L. unica Cod. de Irenarchis* a Decurionibus eligebantur, & a Provinciæ Præſide confirmabantur. Quod ſi Decurio tantum aut Latrunculator, ſeu λῃσοδιώκτης Irenopolis fuit Perilaus: quomodo ait Xenophon, eum urbi illi præfuiſse? Neque enim tanta erat

pote-

poteſtas Decurionum aut Latrunculatorum, ut urbem aliquam regere dici poſsent. Satis itaque hactenus, ni maxime fallor, rejectis Anonymi ſuſpicionibus, illud inde conſequitur, Xenophontem ante Trajani imperium non floruiſse. Quare ad Antoninorum tempora eum pertinere contendimus. Etenim poſtquam Hadrianus Athenas, litterarumque ſtudia reſtituiſset, ſuoque exemplo homines ad litteras amplectendas excitaviſset, ingens exſtitit Scriptorum multitudo ſub ejus & Antoninorum imperio. Atque, quum, toto terrarum Orbe pacato, ingenia longo otio emollita luxuriarentur, fere evenit, quod eſt a Plauto animadverſum *Truculento Act.* I. *Scen.* I. *v.* 55.

„ In magno populo, in multis hominibus,
„ Re placida atque otioſa, victis hoſtibus,
„ Amare oportet omnes, qui, quod dent, habent. „

Sæculi hujus mores exprimunt ejus ætatis ſcripta eroticis, & admirandis narrationibus referta. Commemorare ſufficiat Lucium Patrenſem, Jamblichum, Apulejum, atque eum, qui ſuperiores falſe deridet, Lucianum. Itaque, quum ingens Scriptorum ejuſmodi proventus ea ætate fuerit, ſuadet præterea egregia, quæ in Xenophontis libello conſpicua eſt, ſtili ſimplicitas atque elegantia, ut huic potiſſimum tempori eum attribuamus. Certe Heliodori præſertim ſtilus, etſi eum merito a Photio commendari non ignoremus, ornatior tamen eſt & exquiſitior, quod Conſtantiniano Sæculo magis congruit. Præterea eventus complures apud eoſdem leguntur, quos quovis pretio a Xenophonte fuiſſe ſumtos contenderim. Si vero de Longi Paſtoralium Scriptoris ætate certi quid innoteſceret, conjecturam inde ducere liceret ad Xenophontis tempus inveſtigandum, quum juxta Anonymi monitum multa intercedat huic cum noſtri ſtilo ſimilitudo. Verum his ſepoſitis alia ſuperſunt, unde conjicere liceat, Xenophontem Conſtantinianis temporibus longe majorem fuiſse. Pluribus enim libelli hujus locis Epheſus ut florentiſſima civitas, Epheſiæque Dianæ cultus, dum hæc auctor ſcriberet, ut maxime celebratus deſcribuntur. Conſtat autem ex Jornandis teſtimonio *Rerum Gotbic. cap.* 20. Dianæ Epheſiæ templum Gallieno imperante A. C. 262. direptum & incenſum fuiſse. Dubitant viri docti, fue-

ritne

ritne templum hoc poſt Gothicam calamitatem denuo reſtitutum, & Conſtantini demum juſsu, ut quidam exiſtimant, proſtratum. At fidem ſuperat, tantum ædificium unius & ſexaginta annorum intervallo potuiſse reſtitui. Erat enim opus immenſi pretii, quod inter Orbis totius admiranda numerabatur, ut teſtatur Philo Byzantius, & Pauſanias *lib.* 4. *cap.* 3. *Meſſen.*, quo loco ait, *templum hoc cetera hominum opera longe ſuperaviſſe*. Ita & Dionyſius Periegeta v. 829. vocat Πειλώσιον ἀνδράσι θαῦμα. Vide & Solinum *cap.* 43., ubi ait, Xerxem huic ſoli templo peperciſse, & Plinium teſtantem, id ducentis, vel, ut alii volunt, quadringentis viginti annis factum a tota Aſia. *Lib.* 36. *cap.* 19. & *Lib.* 16. Novum illud vero, quod poſt Heroſtrati incendium conditum eſt, veteri magnificentius fuiſse refert Strabo *Lib.* 14. Itaque Minutius Felix *Octav.* Dianæ hujus meminit, quaſi cultus ejus, dum ſcriberet, vigeret. Ait ſiquidem: „ Diana interim eſt „ alte ſuccincta venatrix, & Epheſia mammis multis & ve„ rubus extructa “, ad quæ verba videri poteſt elegantiſſima Lucæ Holſtenii diſsertatio. Floruit vero Minutius Felix ſæculo a Chriſto tertio ineunte, antequam Gothi Epheſino templo cladem illam inferrent. Contra Arnobius, qui ſub ejuſdem ſæculi exitum vivebat, ſatis aperte innuit, templum hoc ſua ætate proſtratum jacere, quod barbarorum devaſtationi tribuere videtur. Etenim *lib.* 6. *adverſus Gentes*, poſtquam plura alia templa, quæ amplius non extabant, commemoraſset, ait: „ Ubi Diana cum Epheſo? In„ finiti operis res eſſet in toto orbe deſcribere, quæ ſint ſana „ convulſa terræ motibus & tempeſtatibus, quæ incenſa ab „ hoſtibus..... Nunc vero, quia caſſa ſunt, & nullis habita„ toribus tecta, habet in illis fortuna jus ſuum “. Quo loco videre eſt, Dianæ Epheſiæ templum inter ea, quæ amplius non extabant, recenſeri, atque non ut Sybilla falſo prædixerat apud Clementem Alexandrinum *Protreptico pag.* 44. edit. *Oxon.*, terræ motibus aut tempeſtatibus periiſſe, ſed ab *hoſtibus*, ſeu Gothis, *fuiſſe incenſum*. Eadem de cauſſa Euſebius *lib.* 3. *de Vita Conſtantini Imp.* templa commemorans eo jubente diruta, nullam Epheſini mentionem facit, quod ſane,

ut omnium toto Orbe celeberrimum, niſi jam pridem periiſſet, non prætermiſiſſet. Itaque, quum Conſtantinus A. C. 323. edicto ſuo mandavit, ut Gentilium templa diruerentur, Epheſinum amplius non extabat. Aliam conjecturam, ut Xenophontem hunc Conſtantino antiquiorem exiſtimem, inde duco, quod *lib.* 4. *pag.* 56. crucis ſupplicii meminerit, quod a Conſtantino, teſte Aurelio Victore, abolitum fuerat. Poſtremo ad ætatem Scriptoris hujus inveſtigandam non inepte argumentum ſumi poteſt ex antiquis Urbium appellationibus, quod & Anonymo animadverſum video *Miſcel. obſerv. in vet. auct. Vol.* 5. *t.* 3. *pag.* 52. collectionis Batavæ. In hunc cenſum tres urbes refero *Byzantium*, *Mazaca*, & *Perinthum*. Ita & Tenullius putavit, Agathemerum inter Geographos minores Gronovii ante Conſtantinum ſcripſiſſe, quod notam illam Thraciæ urbem perpetuo *Byzantium*, non Conſtantinopolim appellet. Meminit vero hujus urbis Xenophon ſub libri tertii exordium. *Mazaca* autem urbs erat longe princeps Cappadociæ, quæ Tiberio imperante *Cæſarea* eſt appellata. Neque tamen nova hæc appellatio ubique ſtatim eſt recepta, quum Plinius *lib.* 6. *cap.* 3. utroque nomine utatur. Sed Julianus Imperator, ut refert Sozomenus *lib.* 5. *cap.* 4. hujus urbis civibus infenſus mirum in modum eam vexavit, atque A. C. 362. ex urbium ſyllabo tolli mandavit. Quod ſane deſcriptioni a Xenophonte factæ, non convenit, qui *lib.* 3. *pag.* 38. ait fuiſſe urbem μεγάλην καὶ καλὴν, atque ibi οἰκεῖν ἄνδρας εὐδαίμονας *lib.* 2. *pag.* 37. Hæc itaque ad Conſtantinianum ſæculum non ſpectant. *Perinthus*, quæ poſtrema eſt earum, de quibus dicere propoſui, ſita erat in ea Thraciæ parte, quæ Propontis dicebatur. Hinc Xenophon *lib.* 3. *pag.* 39. ait: Πλησίον δὲ τῆς Θράκης ἡ πόλις. Neque enim infrequens eſt, ut Thracia a Propontide ſejungatur, veluti apud Catullum *Carm.* 4. *v.* 8. & 9.

„ Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
„ Propontida, trucemve Ponticum ſinum. „

Niſi mavis hic ipſum mare intelligi. Addit eodem loco Xenophon, Perinthum fuiſſe celeberrimam & cives beatos: ἀκούεις δὲ καὶ τὴν Πέρινθον, ὡς ἔνδοξος, καὶ τοὺς ἄνδρας, εὐδαίμονας. Hæc

ad

ad ea tantum tempora referri poſſunt, quæ Severi regnum ſunt ſubſequuta, Conſtantini autem præceſſerunt. Nemo ſiquidem ignorat, Byzantium a Severo Perinthiis fuiſſe attributum, eaque ratione Perinthum totius Thraciæ Metropolim habitam eſſe, donec Conſtantinus Sede Byzantii poſita, eaque de ſuo nomine appellata, eamdem ſupra reliquas omnes extulerit. Hæc itaque urbs *Heraclea* etiam vocata eſt. Mira eſt Scriptorum circa hujus appellationis originem diſſenſio. Sunt enim quidam, qui exiſtimant, eam prius Heracleam quam Perinthum appellatam fuiſſe. Verum Auctor Obſervationum ad hunc Xenophontem *Vol.* 5. *Miſcell. Tom.* 3. *pag.* 50. veterum teſtimoniis oſtendit, eam antiquiſſimis temporibus Perinthum eſſe dictam. Certum itaque eſt, Heracleæ nomen ſub Romanis Imperatoribus incepiſſe. Cujus vero imperio id ſit tribuendum, rurſus dubitatur. Videtur quidem Ptolemæus apud Cellarium *Geogr. antiq. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 50. utrumque nomen ei tribuere. Unde conſequeretur, Heracleæ appellationem ad Marci uſque Aurelii tempora pertingere. Verum Cellarius voces has ἤτοι Ἡράκλεια recentiore manu adſcriptas fuiſſe ſuſpicari videtur, quum in nummis Severi & Getæ adhuc Perinthus dicatur. Addere poterat Inſcriptionem veterem apud Sponium *Tom.* I. *Itiner. pag.* 302. ad Severi tempora pertinentem: Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Νεωκόρων Περινθίων. Quin & Scriptores omnes, qui belli inter Severum & Nigrum meminerunt, Perinthi nomine utuntur, ut Herodianus *lib.* 3. *cap.* 6. aliique a Boeclero relati *ad Herodiani lib.* 3. *cap.* 1. Quare Spanhemius *de uſu & præſt. numiſmat. Diſſert.* 9. *cap.* 1. *pag.* 578. & *ſeqq.* nominis hujus originem ad Conſtantinopolitanos Imperatores refert, atque Trajani & Gordiani nummos Heracleam Ponticam ſpectare judicat. Contra Weſſelingius ad Antonini Itinerarium *pag.* 323. nomen hoc Conſtantino antiquius eſſe putat, atque ſub Aureliano aut Maximiano Herculio initium habuiſſe. Sub Gallieno enim veteri adhuc appellatione eam urbem uſam eſſe oſtendit. Maximiani Herculii temporibus ipſe quoque aliquando tribuebam, permotus Inſcriptionibus apud Gruterum *Tom.* I. *pag.* 168. locisque aliquot veterum apud Span-

 he-

Digitized by Google

hemium quoque obviis *Diſſert.* 12. *cap.* 12. *pag.* 494. Verum, ut Weſſelingio, quod ejus inter Herculium & Aurelianum ancipitem animum attinet, non aſſentiar, atque ut a priore mea ſententia diſcedam, efficit vetus Inſcriptio ad Aureliani tempora pertinens, ubi Heracleæ nomen legitur, apud Auctorem obſervationum in Inſcriptiones Wehleri & Sponii *Miſcel. Vol.* 3. *Tom.* 1. *pag.* 203. & 204. Unde quoque colligere licet, falſum fuiſſe Anonymum *cit. vol.* 5. *tom.* 3. *p.* 50. dum ait, appellationem hanc Aureliano poſteriorem eſſe. Ex quibus omnibus illud conficio, Xenophontem ante Aurelianum floruiſſe. Ii enim, qui poſt hunc Imperatorem ſcripſerunt, ut Lactantius, Zoſimus, Ammianus Marcellinus, Vopiſcus, aliique aut Heracleam ſemper appellant, aut utrumque nomen conjungunt. Haud immerito igitur Xenophontem ad Antoninorum tempora ſpectare diximus, quod ætas illa ab Aureliani ævo non admodum diſtet (ſunt enim ab Alexandri Severi morte ad Aureliani initium anni omnino quinque ſupra triginta) eamque Scriptoribus hujuſmodi abundaſſe certum ſit. Suboriri poſſet cuippiam dubitatio, Xenophontem fabulam ſuam ita contexuiſſe, quaſi pluribus ſæculis ante ſuam ætatem acta fuiſſet, atque ſedulo in narrationibus vitaſſe, quidquid novitatem ſcribentis prodere poſſet. Id a pluribus factum ultro fatemur. Neque tamen ſuſpicione hac argumentorum meorum vim frangi puto. Fruſtra enim eſſet, qui in antiquitatibus inveſtigandis eadem ratione, qua apud Geometras, rem geri cuperet. Satis eſt, argumenta a me prolata evincere, Xenophontem, ſi tempora ſe antiquiora, Poetarum more, dataque opera non ſit imitatus, ea qua dixi ætate omnino floruiſſe. Etſi harum litterarum periti non ignorent, difficillimum eſſe antiquiorum temporum mores & ritus ita referre, ut nullum novitatis ſuperſit indicium. Alias numquam a rebus, quæ a ſcriptore quodam referuntur, ad ejus ætatem explorandam arguere liceret, quod nemo ſanus ſomniaverit.

Lo-

§. III. *Loca quædam Salvinianæ interpretationis notata.*

DEſcribit Xenophon *lib.* 1. *pag.* 10. thalamum nuptialem Anthiæ & Abrocomæ, qui tectus erat quodam veluti tentorio . Huic perſimilis extat deſcriptio apud Catullum *Carm. de Nuptiis Pelei & Thetydos v.* 47. *& ſeqq.* Spectabatur ibi Mars inermis arte Babylonica expreſsus, qualis & a Lucretio refertur *De R. N. lib.* 1. *v.* 33. *& ſeqq.* Addit Xenophon , viſos ibi ſuiſſe amores ϛρυθοῖς tamquam equis inſidentes: *ἱππεύοντες ἀναβάται ϛρυθοῖς*. Salvinius vertit : *Cavalcando ſopra Struzzi pag.* 12. Non ignorabat utique Salvinius, vocem hanc ϛρυθὸς utrumque æque indicare poſſe , & paſserem, & ſtrutheocamelum, immo vi ſua, atque ſi originem & naturam ſpectes , tam a Græcis quam a Latinis ad paſſerem potius referri . Etenim , quum ſtrutheocamelum deſignare volebant , circumloquutione plerumque utebantur , quod & in aliis animantibus peregre advectis fere uſurpabant. Deficiente enim Latina aut græca voce , quæ eas ſignaret, trito alio vocabulo a notiſſimis animantibus ſumto, addito loco unde adveniebant , utebantur . Notiora ſunt exempla, quam ut operæ pretium ſit plura in medium adducere . Proſeram tamen Herodiani locum *lib.* 1. *cap.* 15. *ταῖς Μαυρυσίαις ϛρυθοῖς . . . ἐπαφιεὶς τὰ βέλη . . . ἐκαρατόμει* . Unde colligitur, vocem hanc ſecundum nativam ſuam ſignificandi poteſtatem , & ſolitarie ſumtam , paſſerem tantum notare. Videatur etiam Ælianus *Var. Hiſt. lib.* 13. *cap.* 31. & Athenæus *lib.* 9. Δειπνοσοφ . Apud quem Ariſtotelis & Alexandri Myndii teſtimonia legi poſſunt , ubi & animadvertit ex Nicandro paſſeres in Elide *δειρίτας* peculiari voce dictos fuiſſe. At Heſychius v. ϛρυθὸς putabat, Atticos ad ſtrutheocamelum indicandum ea uſos ſuiſſe. Nec diffitendum, Ariſtophanem *in Acharnenſ. v.* 1107. atque *in Avibus v.* 875., veluti paullo poſt demonſtrabo , ita eſſe loquutum . Verum id adeo conſtans non eſt , quin æque multa exempla pro contrario uſu adduci poſſint; veluti ex ejuſdem Poetæ *Lyſiſtrata*, quem locum paulo poſt commemorabo , ad quem Florens Chri-

Chriſtianus annotavit, ſententiam petere, ut de paſſere intelligatur, Idem patet ex ejuſdem Comœdiæ *v.* 579. στρυθῶν, νέφος, atque ex *Veſpis v.* 207. Sed & Varinus contendit, hanc vocem præcipue Troglytidem ſignificare. Verum idem alio loco fatetur, aviculam ea deſignari. Sane varietatis hujus cauſſa alia non eſt, quam ea, quæ ſuperius eſt indicata, peregrinas ſcilicet aut minus notas animantes, petito ab aliis frequentioribus & domeſticis vocabulo, eſſe deſignatas; fere ut Græci ἀκρόδρυα mala cujuſcumque generis, & δρυὰς plantas omnes appellaverunt. Hinc ſi ſcriptoris cujuſdam locus ſit explicandus, quid ejus loci ſententia exigat, potiſſimum ſpectare oportet. Videtur itaque Salvinius exiſtimaſſe, Xenophontem hoc loco ſtrutheocamelos in tentorio illo expreſſos narrare, quod hi ob corporis molem aptiores eſſent, quibus Amores tamquam equis inſiderent. Sed ſefellit ratio Salvinium. Neque enim Poetæ & Pictores naturæ ſe legibus tam arcte conſtringi patiuntur. Satius itaque fuiſſet, ſi paſſeres nimis puſilli Salvinio videbantur, quibus Amores inequitare poſſent, tales hos ſibi fingere, quales minutis paſſerum corpuſculis reſponderent. Notiſſima ſunt exempla Myrmecidæ Mileſii & Callicratis Lacedæmonii, & ſi qui alii ejuſmodi ſunt λεπτοτεχνῖται. Neque exempla ſimilis licentiæ accuratius inquirenti defuiſſent. Certe Anacreon *carm.* 33. cujus initium eſt: Σὺ μὲν φίλη χελιδὼν, fingit innumeros amores avicularum inſtar nidum intra cor ſuum poſuiſse. Nec Italica Poeſis ab hac conſuetudine adhorret. Satis ſit locum ex Torquati Taſſi Amynta adſcribere:

„ Picciola è l'ape, e fa con picciol morſo
„ Pur gravi e pur moleſte le ferite.
„ Ma qual coſa è più picciola d'Amore,
„ Che 'n ogni breve ſpazio entra e s'aſconde? „ κ. λ.

quod vir elegantiſſimus ex Theocriti Ἔρωτος κηριοκλέπτου hauſit. Rejecta itaque Salvinii interpretatione Cocchii alteram magis probamus, qui *pag.* 9. ita reddidit: *alii paſſeribus tamquam equis inſidebant.* Salaciſſimi enim ſunt natura paſseres, ut apte tempori atque loco, quo a Xenophonte adhibiti ſunt,

ac-

accommodari poſſint . Quo reſpexit liberi Carminis Auctor dum ait:

„ Vernis paſſeribus ſalaciores. „

Huc etiam referri poteſt locus Ariſtophanis *Lyſiſtrata v.724 & 725.* τὴν δ' ἐπὶ στρουθοῦ μίαν, qui licet obſcurior videatur, apertior tamen ſit, ſi ſententiam conſideres, quæ de libidinoſis mulieribus agit. Hinc vetus Scholiaſtes ad hæc verba ait: παρ' ὅσον τὸ ὄρνεον θερμὸν εἰς συνουσίαν. Gruterus ad Plautum *Bacchid. Act. 1. Sc. 1. v. 35.* contendit, eadem ratione explicandum locum alium Ariſtophanis *Avibus verſ.* 875: καὶ στρουθῷ, inquit Poeta, μεγάλῃ μητρὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων. Sed fefellit Gruterum opinio. Scholiaſtes enim vetus ad eumdem locum merito ait, accipiendum illum eſſe de ſtrutheocamelo, & Poetam ludere circa Cybeles & volucris hujus nomina, quod Cybele *magna Deorum mater*, ſtrutheocamelus vero *magnus paſſer* appellarentur. Ceterum ſatis conſtat, veteres turpiuſculum quid paſſeris voce ſignificare voluiſſe. *Vid.* Feſtus *v. Strutheum.* Plautus *Aſin. Act. 3. Sc. 3. v. 76.* inter amantium blanditias vocem hanc *paſſerculum* numerat, velut & Apulejus apud Gruterum *loc. cit.* Eadem ratione abutebantur aliarum animantium nominibus, ut turturis, columbæ, palumbis, pulli, anatis, coturnicis, atque aliarum. Vide Gruterum *loc. cit.* Fuit quidem quorumdam ſententia, notiſſimos Catulli & Martialis verſiculos de Lesbiæ paſſere nihil obſcenitatis habere. Sed præſtat Politianum & Hermolaum Barbarum *Corollario Dioſcoridis* audire, vetuſtæ loquendi conſuetudinis optime gnaros, qui pro carminum horum laſcivia ſententiam tulerunt. Ita & V. Cl. J. A. Vulpius, qui priore ſua Catulli editione Poetæ hujus de paſſere carmen ab omni obſcenitate abſolvebat, majore deinde ſuo commentario nuper edito ſententiam mutavit.

Locus eſt *lib. 2. pag. 37.* quo Xenophon ait, Abrocomam, Anthiam perſequentem, in Ciliciam perveniſſe, οὐ πόῤῥω πολλοῦ τοῦ ἄντρου τοῦ Λυτεικοῦ. Hunc ita vertit Salvinius: *Grotta Iſſica.* Videtur haud dubie legiſſe, Ἰσσικοῦ, atque ad Ciliciæ fauces reſpexiſſe inter Taurum & mare, ubi Iſſus ſita erat, Darii & Peſcennii Nigri cladibus celebris. Verum quivis perſpicere

po-

poteſt, hoc loco ſermonem eſſe de latronum antro, haud procul Tarſo ſito, quo prædas abigere ſolebant. Rem tetigit Cocchius, atque emendate Græca edidit vertitque *pag.* 31.

Deſcribit Xenophon *lib.* 4. *pag.* 55. Hippothoi iter in Ægyptum his verbis: Καὶ ποταμῷ τῷ Νείλῳ πλεύσαντες εἰς Ἑρμόπολιν τῆς Αἰγύπτου καὶ Σχεδίαν, ἐμβαλόντες εἰς διώρυγα τοῦ ποταμοῦ τὴν ὑπὸ Μενελάου γενομένην. Quæ Salvinius ita eſt interpretatus: *E navigando pel fiume Nilo a Ermopoli d'Egitto, e mettendoſi ſopra un fodero nel foſſo del fiume fatto da Menelao*. Duplex eſt hoc loco Geographicum Salvinii erratum. Prius, quod Σχεδίαν ratem aut navem extempotalem reddiderit, ea notione, qua apud Homerum aliosque reperitur, quum Urbs ſit in Ægypto ſatis nota. Erroris cauſſa Salvinio fuiſſe videtur, quod in codice, quo uſus eſt, ſuper hanc vocem nulla eſſet lineola ducta, ut fere ſolebant veteres, quum urbis nomen deſignare volebant. Alterum eſt, quod foſſam illam a Menelao factam fuiſſe dicat. Non ignoro, Menelaum Spartæ Regem, ſi veteribus Poetis & Mythologis fides eſt, in Ægyptum perveniſse. At hujus loci ſententia plane poſtulat, non Menelaum Regem, ſed Ægypti Urbem intelligi. Salvinianæ interpretationis origo ducenda eſt ex duplici vocis hujus γενομένην poteſtate, quæ & *factam* & *ſitam* eſſe ſignificare poteſt. Quare Cocchio aſſentior ita interpretanti: *Niloque flumine navigantes Hermopolim Ægypti & Schediam, ingreſſi foſſam, quæ Menelao ſubeſt. pag.* 46.

Ait Xenophon *lib.* 5. *pag.* 68. de Poliido: Ἦν δὲ αὐτῷ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γυνή. Vertit Salvinius: *Ed era ſua parente in Aleſſandria. pag.* 85. Videtur Salvinius in Florentino Codice legiſſe συγγενής vel συγγόνη. Verum ex alio loco *pag.* 70. ſatis conſtat, Poliidum uxorem Alexandriæ habuiſſe, atque adeo præferenda eſt Cocchii interpretatio *pag.* 57.

Xenophon eodem *lib. pag.* 88. de Abrocoma & Anthia hæc habet: Δι' ὅλης νυκτὸς ἀλλήλοις ἀπελογοῦντο. Hæc ita reddidit Salvinius: *Queſte apologie tutta notte ſi paſſarono, pag.* 106. Sed rectius vertit Cocchius: *Tota nocte omnia ſibi invicem narrarunt. pag.* 71.

Lacuna etiam eſt in Salvinii interpretatione *pag.* 17 & 18,

quo

quo loco hæc prætermiſit : ὡς ὀμνύω τε τὴν πάτριον ἡμῖν θεὸν τὴν μεγάλην Ἄρτεμιν, καὶ ταύτην, ἣν διανύομεν, θάλατταν, καὶ τὸν ἐπ' ἀλλήλους ἡμᾶς καλῶς ἐκμήναντα θεόν.

§. 4. *Obſervationes in quædam Xenophontis loca.*

EST Xenophontis locus *lib.* I. *pag.* I. ubi de Abrocoma ait: Παιδείαν τε γὰρ πᾶσαν ἐμελέτα καὶ μουσικὴν ποικίλην ἤσκει. Κιθάρα δὲ αὐτῷ, ἱππασία, καὶ ὁπλομαχία συνήθη γυμνάσματα. Dubitari poteſt, uſusne fuerit Xenophon hoc loco vocibus παιδείας & μουσικῆς latiore notione, qua omnis ſapientia & eruditio, animique & corporis exercitatio comprehenditur; an peculiari alia & propria. Poſterius magis probo, quod ubi his vocibus additur ceterarum exercitationum enumeratio, videantur plerumque minus lata notione a Scriptoribus uſurpari. Sic apud Herodianum *lib.* 5. *cap.* 7. legimus, datos fuiſſe Alexandro: πάσης παιδείας διδασκάλους, & paullo poſt: παλέστραις τε καὶ τοῖς ἀνδρῶν γυμνασίοις εἴθιζε, παιδείαν τε τὴν Ἑλλήνων καὶ Ῥωμαίων ἐπαίδευε. Ubi παιδείας nomine litterarum Romanarum Græcarumque ſtudia intelligenda ſunt. Prior enim acceptio, quæ frequens eſt apud Platonem præcipue, qua μουσικὴ ſapientiam notat, teſte Sexto Empirico *adverſ. Muſicos cap.*I. impropria eſt.

Pag. 2. ait de Abrocoma: Καὶ ἠγάλλετο μὲν τοῖς τῆς ψυχῆς κατορθώμασιν, πολὺ δὲ μᾶλλον τῷ κάλλει τοῦ σώματος. Geminus huic eſt locus apud Xenophontem Atticum *Sympoſio c.*4. *ſect.*13. ubi Critobulus ait: Ἀξιόν γε μὴν ἡμῖν τοῖς καλοῖς καὶ ἐπὶ τοῖς δὲ μέγα φρονεῖν, ὅτι τὸν μὲν ἰσχυρὸν πονοῦντα δεῖ κτᾶσθαι τ' ἀγαθὰ, καὶ τὸν ἀνδρεῖον κινδυνεύοντα, τὸν δέ γε σοφὸν λέγοντα. Ὁ δὲ καλὸς καὶ ἡσυχίαν ἔχων πάντ' ἂν διαπράξαιτο.

Eodem loco hæc ſunt de Abrocoma: Ἀπεφαινέ τε ἑαυτὸν Ἔρωτος παντὸς καλλίονα καὶ κάλλει σώματος καὶ δυνάμει. Vide Patrum teſtimonia hac de re apud Ludovicum Vivem & Coqueum ad Auguſtini *lib.* I. *De Civitate Dei cap.* 32. Ita & Dionyſius Longinus de Homero hæc habet: Ὅμηρος γάρ μοι δοκεῖ, παραδιδοὺς τραύματα θεῶν, στάσεις, τιμωρίας, δάκρυα, δεσμὰ, πάθη πάμφυρτα, τοὺς μὲν ἐπὶ τῶν Ἰλιακῶν ἀνθρώπους ὅσον ἐπὶ τῇ δυνάμει

θεοὺς πεποιηκέναι, τοὺς θεοὺς δὲ ἀνθρώπους. κλ. περὶ ὕψους cap.7. Ade Heracliti perſimile in re diſſimili dictum apud Clementem Alexandrinum *lib.* 3. *Pædagogi*.

De Dianæ Epheſiæ templo hæc leguntur eodem loco : *ἀπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τὸ ἱερὸν στάδιοι δὲ εἰσὶν ἑπτά*. Diſtinguit quidem aliter Anonymus auctor Obſervationum ad hunc Xenophontem in Collectione Batava. Eadem tamen manet ſententia, templum ſcilicet ſtadiis ſeptem ab Urbe diſſitum fuiſſe. Idem habet Herodotus *lib.* 1. At hic ſcribebat, antequam Epheſinum templum ab Heroſtrato ſeu Lygdami fuiſſet incenſum . Calamitas enim hæc incidit in A. M. 3648. Herodotus vero natus eſt A. M. 3520. Videatur Uſſerius. Itaque novum templum eodem loco, eodemque ab Urbe intervallo eſt erectum. Quod probari poteſt & loco Strabonis *lib.* 14. ubi ait, eo incendio ſolum tectum non parietes periiſſe. Hoc idem templum inter urbem & portum fuiſſe refert Auctor noſter *lib.* 5. *pag.* 86 & 87. quod & confirmatur ex Strabone *loco cit.* & Sponio *in Itinerario*. Videri tamen poſſet cuippiam, iis, quæ de ſpatio inter Urbem & templum interpoſito diximus, obſtare illud, quod de Pindaro Epheſiorum Tyranno legitur apud Herodotum, Polyenum & Ælianum V. H. *lib.* 3. *cap.* 26. urbe nimirum a Crœſo obſeſſa, conſilium datum civibus a Pindaro, ut ex portis & mœnibus funes ad columnas templi alligarent. Futuram enim ita urbem quaſi Dianæ anathema, neque a Crœſo violatum iri. Unde quis ſuſpicari poſſet, templum in ipſa Urbe fuiſſe. At nil vetat funes potuiſſe duci ex Urbe ad templum, etſi extra mœnia in ſuburbanis eſſet ſitum, quod ipſa Herodoti verba aperte indicant *Lib.* 1. *cap.* 26. *edit. Gronov.* Obſideri enim Urbs poteſt, licet circumquaque corona non cingatur. Etſi vero Herodotus utatur voce *πολιορκεῖσθαι*, quæ fere obſidionem denotare videtur : attamen ex Æneæ Tactici libello, & notationibus ad eum Caſauboni facile colligitur, *πολιορκίας* nomine non obſidionem tantum, ſed & oppugnationem venire. Præterea loca quædam ſunt apud Stephanum *de Urbibus*, quæ templum in Urbe fuiſſe indicare videntur. Refert enim plures Epheſinæ urbis appellationes, inter quas & *πτελέη* eſt. Conſtat vero ex Dionyſio Pe-

rie-

riegeta *v.* 829. Dianæ templum ἐν πρέμνῳ πτελέης conſtructum fuiſſe. De cujus verborum ſententia etſi alii aliter ſentiant, Euſtathii tamen Scholiaſtis explicationem præfert Petitus *de Amazonibus cap.* 30. πτελέαν eam urbis partem ſignificare, ubi Dianæ templum erat ſitum. Ita plane & Salmaſius *in Plinianis Exercit.* apud Petitum varias illas Epheſi appellationes varias urbis partes indicaſſe putat. Quare, ſi templum ἐν πτελέῃ ſitum erat, ut Dionyſium velle exiſtimant, atque πτελέη pars erat Urbis: planum eſt, templum extra Urbem non fuiſſe. Verum pace tantorum virorum numquam induci poſſum, ut cum Salmaſio credam, appellationes illas apud Stephanum alioſque Urbis partes denotaſſe. Ipſe enim Salmaſius paullo poſt eas enumerans, *Ortygiam*, quæ ex illis una eſt, lucum ante Urbem, & Σάμορναν portum Epheſi fuiſſe fatetur. Portus autem ipſo templo, ut diximus ex Strabone & noſtro, ab urbe erat remotior. Itaque illud quidem ex Dionyſii & Stephani verbis confici poſſe non diffiteor, locum, ubi templum ſitum erat, πτελέην fuiſſe dictum, etſi Scaliger apud Petitum id quoque inficietur, velitque id pertinere ad genus arboris ſeu trunci, unde Dianæ ſimulacrum factum erat: attamen locum illum intra Urbem fuiſſe, quemadmodum Petitus contendit, ut non credam, efficit Scholiaſtes ad Theocriti *Idyl.* ζ. *v.* 65. apud Holſtenium ad Stephanum *v.* πτελέα, ubi ait, πτελέαν locum fuiſſe medium inter Epheſum & Miletum. Scholiaſten hunc excripſiſſe videtur Varinus: Πτελέα, inquit, ἐςὶ τόπος μέσον Ἐφέσου καὶ Μιλήτου κλ. unde πτελεατικὸν οἶνον .... ἢ Ἐφέσιον, etymo ſumto aut a loco aut ab ulmo, quæ πτελέη Græcis eſt, atque cui vites alligari ſolent. Si Creophili libri *de finibus Epheſiorum*, & Democriti Epheſii *de templo Dianæ* ab Athenæo *Lib.* 8. & 12. memorati extarent, clarius utique hac de re nobis liqueret. Verum in tanta veterum jactura & antiquitatis obſcuritate his contentos nos eſſe oportet.

Pag. 3. ait Xenophon: Καὶ γὰρ ἔθος ἦν ἐκείνῃ τῇ πανηγύρει καὶ νυμφίους ταῖς παρθένοις ἀφίσκεσθαι, καὶ γυναῖκας τοῖς ἐφήβοις. Hunc morem tangit nullum auctorem prodens Gyraldus *Hiſt. Deor. Syntagm.* 12. „ Porro, inquit, in Dianæ Epheſiæ an-

„ nuo feſto juvenes primo flore ætatis, & virgines cultu nobili „ ad templum cum pompa procedere ſolebant, feſtumque diem „ agere, & ſponſalia mutuo inire “. Fortaſſis Alexandrum ab Alexandro exſcripſit *Lib. 6. Genial. Dier. cap.* 2. ſine teſtimonio idem narrantem. At verius eſt, utrumque a Politiano *Miſcel. c.* LI. id mutuatum eſſe, tacito licet Politiani nomine.

Pag. 6. Ait Amorem eſſe πάντων δεσπότlω. Ita & Dejanira apud Sophoclem *Trachiniis*, *v.* 445. *& ſeqq.* Ἔρωτι μὲν, inquit, κεἰνῳ ὅστις ἀντανίσαται, πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, ἐ καλῶς φρονεῖ. Οὗτος γὰρ ἄρχει κ̓ Θεῶν ὅπως Θέλει. κλ. Moſchus *Amore fugitivo*: Πολὺ πλεῖον δέος αὐτῷ βαιὰ λαμπὰς ἐοῖσα μὲν ἅλιον αὐτὸν ἀναίθει. Ita & Plato *lib.4. Anthol*: Ὁ πτανὸς τὸν πτανὸν ἰδὼν, ἀγνῦσι κεραυνὸν, Δεικνὺς ὡς κρεῖσσον πῦρ πυρός ἐστιν ἔρως.

Pag. 8. ait: Ὀλίγον δὲ ἀπέχει τὸ ἱερὸν τοῦ ἐν Κολοφῶνι Ἀπόλλωνος, διέπλευν ἀπὸν Ἐφέσου σαδίων ὀγδοήκοντα. Strabo *lib.* 14. ſeptuaginta tantum ſtadia deſignat, niſi numerorum notæ corruptæ ſunt.

Pag. 24. Referens Abrocomam, & Anthiam Tyrum perveniſſe hæc habet: Περιβλέποντες ἦν αὐτῶν ἡ πομπὴ κ̓ πάντες ἐτεθαυμάκεσαν τὸ κάλλος, οἱ ἄνθρωποι βάρβαροι μήπω πρότερον τοσαύτlω ἰδόντες εὐμορφίαν, Θεὺς ἐνόμιζον εἶναι τὺς βλεπομένυς. Hinc colligere licet, paucos fuiſſe in Phœnicia & Syria inſigni forma adoleſcentes aut puellas. Quare Plautus ancillam Syram pro deformi habet: *Syra non mala, ſed forma mala*. Mercat. *Act.* 2. *Sc.* 3. *v.* 79. & 80. Sic & Baſſianus, qui poſtea Helagabalus, ab Emeſæ Phœniciæ urbis incolis, Romaniſque militibus ob egregiam formam Baccho comparabatur, eaque res plurimum illi profuit ad imperium occupandum, ut pluribus narrat Herodianus *l.* 5. *cap.* 3. Non ignoro Suetonium *Octavio cap.* 85. referre, Auguſtum ludere ſolitum talis cum pueris minutis, *quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros & Syros*. At nobis non de quacumque ſed de inſigni forma res eſt, quæ hominem in admirationem rapiat, cujuſmodi fuiſſe pueros hos Syros, non probant Suetonii verba. Ut etiam illud prætereaam, veterum loca a Caſaubono ad hunc Suetonii locum collecta nihil de faciei elegantia, ſed de garrulitate tantum Syrorum agere.

Pag.

Pag. 35 & 36. De ſacrificio, quod a latronibus in Cilicia Marti fiebat, ait: Τὸ μέλλον ἱερεῖον θύεσθαι εἴτε ἄνθρωπος εἴτε βόσκημα εἴη κρεμάσαντες ἐκ δένδρου καὶ διαστάντες ἠκόντιζον. Mirum eſt poſt Imperatorum edicta, quibus humanarum victimarum ſacrificia ſublata fuerant, tantum facinus auſos latrones. Tiberius enim Carthagine id vetuerat, ut eſt apud Tertullianum *Apologet. c. 9.* & Hadrianus in Cypro, teſte Lactantio I. *Inſt. c.* 21. At latrones ſcilicet hi erant, qui leges & edicta flocci non faciebant, aut hæc a Xenophonte narrationis exornandæ cauſſa conficta ſunt.

Ead. *pag.* 36. De Perilao Irenarcha, qui Anthiam poſtea amavit, hæc refert: πυθόμενος τὴν μέλλουσαν ἠλέησεν. Amorem ſæpe miſerationi originem ſuam debere vel Ariſtotelis facto docemur, qui Pythiam Hermiæ Myſorum Tyranni ſororem uxorem duxit, fratris miſeratione tactus, qui a Perſis captivus factus fuerat, ut auctor eſt Euſebius *Præparat. lib.* 15. *cap.* 2. De hoc Hermia quædam aliis adhuc non obſervata in adverſariis habeo, quæ alias fortaſſis proferam.

Pag. 39. Quomodo Hippothous Hyperantem amare ceperit, ita refert: Ἠράσθη δὲ τὰ πρῶτα ἐν γυμνασίοις διαπαλαίοντα ἰδών. Nudi nimirum adoleſcentes in gymnaſiis exercebantur. Huc facit & Horatii monitum ad Aſterien *lib.* 3. *Od.* 7.

- - - - - - at tibi,
„ Ne vicinus Enipeus
„ Plus juſto placeat, cave:
„ Quamvis non alius flectere equum ſciens
„ Æque conſpicitur gramine Martio,
„ Nec quiſquam citus æque
„ Tuſco denatat alveo. „

Hinc Clodia libidinoſa mulier hortos ad Tiberim comparaverat, ut juventutem in flumine natantem conſpicere poſſet, atque inde ſibi conditiones legere. *Vid.* Cicero *pro Cœlio c.* 15.

Pag. 63 & 64. Refert Xenophon ſub *lib.* 4. exordium, Ægialeum cum Thelxinoe Androcli jam deſponſa Lacedæmone aufugiſſe, eaque de cauſſa capitalem ſententiam in utrumque fuiſſe latam: Λακεδαιμόνιοι δὲ πυθόμενοι τὴν φυγὴν ἡμῶν θάνατον κατεψηφίσαντο. Cauſſam hujus ſeveritatis quæſivi. Ea vero multi-

plex

plex videri poſſet. Primum enim lex erat apud Lacedæmonios, ne ulli Civium peregre proficiſci liceret, de qua vide Cragium de *Rep. Lacedæm. pag.* 214. Etſi enim Iſocrates legem hanc de militaribus tantum viris agere exiſtimet: attamen Nicolaus Damaſcenus & Harpocration ex Ariſtotele ad cives univerſos eam porrigunt apud eumdem Cragium. Quin & Plato apud Valeſium ad Harpocrationem *pag.* 100. juventuti præcipue legem hanc latam eſſe teſtatur: καὶ αὐτοὶ οὐδένα ἐῶσι τῶν νέων εἰς τὰς ἄλλας πόλεις ἐξιέναι. Deinde alia lex erat, quæ legitimo tantum tempore nuptias fieri mandabat. Id autem Cragio *pag.* 220. videtur fuiſſe in viris annus triceſimus, in fœminis viceſimus. Ægialeus vero, quum Thelxinoem rapuit, nondum ex ephebis exceſſerat. Hoc criminis loco numerat ipſe Ægialeus, ubi conſuetudinem ſuam jam ante fugam memorat: Ἐνεμέσησε δέ τις ἄρα τῶν θεῶν, κἀγὼ μὲν ἔτι ἐν τοῖς ἐφήβοις ἤμην. Fortaſſe & quod invitis parentibus conveniſſent, damnati ſunt. Putat enim Cragius *pag.* 224. & id Spartæ fuiſſe vetitum. Verum verba Xenophontis præcipuum crimen fugam fuiſſe indicant.

Pag. 76. ait Anthia: Ἀβροκόμας μὲν γὰρ, εἰ τοὺς ὅρκους παραβέβηκε, μηδὲν οἱ θεοὶ τιμωρήσαιντο τοῦτον. Mire huc faciunt, quæ Dejanira de Hercule ad Licham ait apud Sophoclem Trachiniis *v.* 449. *& ſeqq.* Ὡς εἴ τι τὠμῷ τ' ἀνδρὶ τῇδε τῇ νόσῳ Ληφθέντι μεμπτός εἰμι, κάρτα μαίνομαι. Et *v.* 558. Ἀλλ' οὐ γὰρ.... ὀργαίνειν καλὸν Γυναῖκα νοῦν ἔχουσαν. Haud abludit Propertius I. *Eleg.* 8. *v.* 17.

„ Sed quocumque modo de me perjura mereris,
„ Sit Galatea tuæ non aliena viæ “.

Ita & Tibullus III. Eleg. VI. v....

„ Perfida, ſed quamvis perfida, cara tamen“.

Huc ſpectat & Cicero XI. *ad Familiar. epiſt.* 3.: „ Deos quæſumus, inquit, conſilia tua reipublicæ ſalutaria ſint. Si minus, ut ſalva atque honeſta republica tibi quam minimum noceant optamus “.

§. V. *Diſſertationis hujus Apologia.*

Sextus eſt fere annus, quum primum Xenophontis hujus Scripta in conſpectum meum Venetiis venerunt Apoſtoli Zeni,

Zeni, & J. B. Recanati VV. CC. munificentia. Rei novitas excitavit me, ut cogitarem de libello hoc paullo attentius percurrendo. Sperabam etenim, quædam me deprehendere poſse hactenus non tentata. Ea igitur, quæ ex tumultuaria illa lectione collegeram, communicavi cum quodam amico meo, qui Romæ tunc erat. Is operam, quam amatorio ſcriptori, ab aliis jam edito, illuſtrando impenderam, penitus improbavit. Non æquiorem alibi ſententiam ab aliis tuli. Verum horum judiciis non ſum abſterritus, ſed illuſtrium virorum exemplo reputavi, non eos tantum de veteribus ſcriptoribus bene mereri, qui hos e tenebris eruunt, aut erutos emendant, ſed & illos, qui emendatos illuſtrant, atque antiquorum ritus & mores, aliaque hactenus non obſervata inde in medium proferunt. Fateor equidem, majorem in eo, qui corrupta ſcriptoris verba reſtituit, facultatem eſſe oportere, quam in eo, qui reſtituta enarrat. Verum, ut nullum laude ſua defraudare mihi mens eſt, ita & eos, qui antiquitatis capitibus, aut animi affectionum motibus non ita paſſim pertractatis lucis aliquid conferunt, laudis omnino expertes eſse non debere cum bonis omnibus contendo. Quid vero hac in re præſtiterim, aliorum eſto arbitrium judicare. Hoſpes autem ſit oportet in melioribus litteris, qui honeſti viri officio indignum putet, amatorios ſcriptores perlegere antiquitatis aut elegantiæ cognoſcendæ cauſsa. Qua de re fruſtra me verba facere exiſtimo, quum ea, quæ de hoc Xenophonte hactenus obſervavi, ſatis demonſtrent, quo animo ad eum illuſtrandum acceſserim. Quod ſi hæc, quæ hactenus præſtiti, non improbari ab harum litterarum cupidis intellexero, efficiam aliquando, ut plures longe in Xenophontem obſervationes habeant, atque Latinam Cocchii interpretationem, & Græca ipſa a mendis non paucis, Anonymo ipſi, cujus mentio ſæpe facta eſt, non obſervatis, liberata.

Digitized by Google

/a 005874522

Digitized by Google

0050746921

Digitized by Google